

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

Apophthegmata Laconica

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

rum bene constituere, quam parare. Lata de adulteris lege
 in qua de reorum eius flagitij iudicio & supplicio erant om-
 nia definita, postea in adolescentem, qui cum Iulia adul-
 terium commississe dicebatur, iratus irruit, manibusq; eum
 5 pulsavit, qui cum exclamaret, Legem tulisti ô Cæsar: ita pœ-
 nitudine est correptus, vt cœnam ea die recufauerit. C. Cæ-
 sari filiæ suæ filio, cum eum in Armeniam mitteret, preca-
 tus est à diis gratiam Pompeij, audaciam Alexandri, fortun-
 nam suam concedi. Romanis autem se imperij sui heredem
 10 relicturum dixit, qui nunquam bis vna de re consultauerit:
 Tiberium innuens. Tumultuantes iuuenes qui in honore
 erant volens compescere, cum non animum aduerterent,
 sed obstreperent: audite, inquit, iuuenes senem, quem iuue-
 nem senes audiverunt. Quod peccasse aliquid videbatur
 15 populus Atheniensis, ab Aegina scripsit ad eum: Existimo *Humani-*
 non vos fallere me irasci vobis: alioqui enim non exegissem *cer.*
 hyemem Aeginæ. aliud nihil vel dixit eis vel fecit. Cum v-
 nus de Euryclis accusatoribus effusus libertate dicendi &
 ad fastidium vsq; vsus, ad hæc verba prolapsus esset: Si hæc ti-
 20 bi, Cæsar, non videntur magna, recitare eum mihi iube se-
 ptimū Thucydidis. iratus Augustus eum se inde auferre ius-
 sit. audiens autem esse eum de Bravidæ posteris superstitem,
 acciuit verbisq; mediocriter castigatum dimisit. Pisone do-
 mum à fundamentis vsq; ad summum tectum accurate exæ-
 25 dificante: Animum, inquit, exhilaras meum: ita ædificans,
 ac si Roma sit futura sempiterna.

PLVTARCHI ΑΠΟΡΗΤΗΓΜΑ-

ta Laconica,

30



Gasicles Lacedæmoniorum rex cuidam miranti
 quod auditionis alias studiosus Philophanem
 tamen sophistam non admitteret, respondit se
 debere eorum esse discipulum, quorum etiam fi-
 35 lius esset. Idem interrogatus quomodo princeps absq; sti-
 patoribus esse posset rurus, respondit: si subditis ita impera-
 ret, vt pater filiis. *Tutum im-*
perium.

AGESILAVS magnus ille sorte quodam in conuiuio
 magisterium nactus, pincernæ interroganti quantum cui-
 que conuiuarū vini iuberet apponi: Si multum, inquit, vini

in promptu est, cuius quantum posceret fundito: si parum, equaliter inter omnes distribue. Malefico quodam constanter tormenta perpetente, Quam valde ait, malus hic homo est, in res malas ac turpes tolerantiam perseverantiamque impendens. Laudate quodam rhetorem, quod magna dicendi facultate res paruas exaggeraret: Ne lutorem quidem, inquit, probum putem, qui paruo pedi magnum circumdet calceum. Dicenti quodam, Assensus es, idque repetenti sapientius: omnino, inquit, assensus sum, si res iusta est. si minus, dixi sane, verum assensus non sum. inferentique, At vero reges par est implere

*In Vanilo-
quum.*

*Principū
responsa.*

Iliad. 23.

527.

*Dicentis
mores.*

*Fiducia
sua.*

Vliso.

Quod capite annuerint: -- respondit: Non magis, quam æquum est, ut qui regem accedunt, petant dicantque iusta, cōsiderato quid occasio & decorum regis ferat. Quoties laudantes aut vituperantes audiret, censebat non minus dicentium mores cognoscendos esse, quam eorum de quibus dicerent. Puerum ipsum etiamnum, cum puerorū nudorum exhiberetur spectaculum, chori magister loco obscuro constituerat. obtemperavit, quamquam iam rex designatus, ita factus: Bene habet: ostendam enim non loco virum, sed vito locum cohonestari. Medico quodam rationem medendi corporis malo ei demonstranti non simplicem, sed multis subtilibus ac superuacaneis admixtam. Accator, inquit, nisi mihi vita est destinata, non sum victurus etiam omnibus istis vsurpatis. Adstans aliquando aræ Mineræ, quæ ab æde aræ Chalciæcus dicitur, bouemque immolans, morsus à pediculo, nihil reueritus in conspectu omnium arripuit eum & occidit, his additis verbis: Per deos, iucundum est vlscisci insidiatorem, etiam pone aram. Alio tempore videns mutem à puero tenente trahi de fenestra, eumque mordere manum tenentis ac profugere, re iis qui aderant ostensa dixit: quando minimum animalculum sic propulsat vim illatam, quid existimandum est viros debere facere? Bellum regi Persarum illaturus liberandorum gratia Græcorum qui in Asia erant: oraculū Dodonæum consuluit. acceptoque respōso, ut expeditionem sicuti animo ageretur: ita susciperet, id respōsum Ephoris exposuit: hi eum iusserunt Delphos proficisci, deoque eadē re sortem sciscitari. Eo itaque cum venisset, ita rogauit: Apollo, idemne tibi videtur, quod patri? Eoque adstipulante imperator creatus, expeditio-

petitionem fecit. Eius in belli initio Tisaphernes Agesilaum metuens pacis impetrandae causa promiserat, regem urbibus Graecis libertatem, & quas ipsae haberent legum usum permissurum: mox magnis a rege euocatis ad se copiis bellum eidem nunciauit, nisi Asia decederet. Grata fuit haec perfidia Agesilao, simulansque in Cariam se ducturum, cum eo cogeret suas copias Tisaphernes, conuerso itinere in Phrygiam irrupit, plurimisque urbibus, & ingenti portus est pecunia. Cum quidem amicis dixit, Impium esse iniuste fidem datam violare: hostes autem decipere, non iustum modo esse & laudabile, sed suaue etiam ac lucrosum. Equis cum destitueretur, Ephesum reuersus est, opulentisque iniunxit, ut pro se quisque equum virumque praerberet, hocque pacto ipse vacationem militariae haberet ea ratione subito equi equitesque idonei timidorum diuitumque loco collecti sunt. qua in re imitari se Agamemnonem dicebat, qui accepta bona equa hominem ignauum ac diuitem militiae immunem fecisset. Vendentibus, nuda mancipia (quae ceperat ex hoste) sectoribus, & vestium multis existentibus emptoribus, corpora autem alba & omnino tenera ob educationem intra parietes & in umbra factam omnibus deridentibus, quippe inutilia & nauici: assistens Agesilaus, Haec, inquit, sunt propter quae, isti aduersus quos pugnatis. Apud Lydiam cum ingenti hostium strage Tisaphernem profligasset, & regis ditionem popularetur, isque pecuniam dono ipsi mitteret, pacificationemque posceret, respondit, Pacis compositionem fore in reipublice Spartanae potestate: se ditandis militibus magis delectari, quam opibus possidendis: hoc autem sibi pulcrum videri, si Graeci non accipiant ab hostibus dona, sed manubias adipiscantur. Megaburen Mithridatis F. qui erat formosissimus, offerendi osculi gratia accedentem (admodum enim amari se putabat) declinauerat. cumque is finem fecisset accedendi, requirebat eum ultro. tum amicis dicentibus ipsum esse in culpa, qui pulchri osculum formidasset, praeter timorem non amplius venturi: paululum tacite secum meditatus Agesilaus, Nihil, inquit, attinet, eum a nobis adduci persuadendo. male enim mihi videor huiusmodi vincere cupiditates, quam populosissimam hostium repugnantium urbem capere. melius est enim suam ipsius conseruare libertatem, quam alius eam adimere. Caetera accuratus & iustus, in amicorum cau-

*Perfidia
& calliditas differunt.
Srrarege-
ma.
Iliad. 4*

297.

*Victoria
sua.*

sis existimabat nimiam iusticiam prætextum esse cõtra eos. Fertur sane epistolium eius, pro amico apud Hidrieum Carum sic intercedentis, tale Si insons est Nicias, missum eum fac: si autem sons est, mea causa dimitte, omnino autem dimitte. Ac in plerisq; sane amicorum rebus talis fuit Ageilaus, est tamen vbi occasionem ad vtilitatem potius accommodauit. Castra enim aliquando mouens non nullo cum tumultu, inualidum à tergo relinquens amasium precantem, & cum lacrymis reuocantem, conuersus: Difficile est, dixit, simul misereri & sapere. Victus ratione nihilo quam qui vna degebant vsus est meliore. abstinuit omnino satietate & crapula: somno vsus est non vt domino, sed eum actionibus habuit suis obedientem. Frigus & æstus ita facile tulit, vt
 * solus tempestatibus anni vteretur Tentorium in medio militum habens, nullo meliorem lectum habuit, Al-
 sidue in ore hoc habebat, ducem non mollicie & luxu, sed
 Dux. tolerantia ac fortitudine debere subditis anteire. Itaq; cuidam interroganti, quid boni leges Lycurgi Spartanis attulissent, respondit, Contemptum voluptatum. Admiranti eius, reliquorumq; Lacedæmoniorum in vestitu & victu frugalitatem: Hac, inquit, è semente vitæ libertatē metimus. Hortanti vt aliquid de seueritate victus remitteret, monentiq; ob incerta casuum fieri posse vt postmodo nunquā viuere mollius detur, respondit: Ego vero me adsuafacio vt in nulla mutatione mutationem quærā. Senior etiam factus, eandem viuendi tenuit rationem. ideo quærēti cur magno in frigore tanto ipse natus sine tunica obambulet, respondit: Vt imitentur iuuenes exemplum seniorum atq; principum. Thasij per agrum ipsorum cum exercitu transeunti farina, anseres, bellaria, placentas, aliosque cibos sumtuosos potusque miserunt. solam autem farinam accepit, reliqua eos, vt nulli vsui sibi futura, auferre iussit. cum instarent, vtque omnino acciperet precarentur, in seruos distribuere iussit. quærentibusque causam, dixit: Qui virtutem colunt, eos non admittere huiusmodi gulæ delicias. aliena enim à liberis ea esse, quibus feruilia ingenia alliciuntur. Rursum Thasii eum, quod magna ab ipso se adeptos beneficia sentirent, templis diuinisq; honoribus venerantibus, eaque de re legatos mittentibus: vt legit quos honores sibi decernerent, quæsiuit è legatis an ciuitas ipsorum homines in

Frugalitas

Inanis honoris contemptum.

nes in deos posset conuerrere: cum affirmarent , Agedum,
 inquit, vos ipsos primum deos facite, eo facto, credam vo-
 bis posse me quoq; à vobis in deū mutari. Cum Græciæ in
 Asia gētes decreuissent ei in nobilissimis vrbibus statuas po-
 nere: rescripsit: Nullum mei esto simulacrum, neque pi-
 ctum, neque fictum, neque artificio vllō adornatum. Con-
 spicatus in Asia domum, quadrangulis laqueatam trabi-
 bus, dominum eius interrogauit, ecquid ibi locorum ar-
 bores nascerentur quadrangulæ, respondentem, non, sed ro-
 tundæ: quid ergo, inquit, an si quadrangulæ nascerentur,
 rotundas faceretis? Interrogatus olim quousque fines La- *In luxum.*
 conicæ pertingerent: hastam vibrans, quousque, inquit,
 hæc peruenit. Alij interroganti cur Sparta muris careret,
 ciues commonstrans armatos, istos esse dixit Sparta mu-
 ros. Alteri hac ipsa de re percunctanti respondit, vrbes non
 lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium debere esse
 munitas. Hortatus est amicos suos, vt non pecuniæ, sed
 fortitudinis & virtutis fiant locupletes. Si quando aliquid
 vellet celeriter à militibus peragi, id primus ipse in conspe-
 ctu omnium aggressus est. Hoc gloriabatur, quod à nemine
 superaretur laborando, & sibi magis quam subditis imper-
 raret. Cum quidam Laconem claudum videret in bellum
 exire, & equum quæretet, Non sentis, inquit, bellum opus
 habere manentibus, non fugientibus? Interrogatus quo-
 modo magnam parasset sibi gloriam, respondit, Contem-
 nendo mortem. Quærente quodam cur ad tibiæ cantum
 Spartani pugnarent: vt, inquit, ad numerum iis inceden-
 tibus timidi fortesque sint in conspectu. Fortunas Persa-
 rum regis prædicante, iuuenis admodum: Neque Pria-
 mus, inquit, ista ætate calamitosus fuit. Subacta magna
 Asia parte, statuit aduersus ipsum regem ducere, finem-
 que octo eius imponere, quo is abusus Græcorum ora-
 tores solebat corrumpere. Euocatus autem ab Ephoris ob
 bellum quod à Græcis Sparta imminebat, cuius causa e-
 rat pecunia à rege Persarum transmissa, fatus bonum prin-
 cipem debere parere legibus, ex Asia abiit, magno sui
 desiderio Græcis ibi degentibus relicto. Et quia nomi-
 ma Persicum sagittario erat signatum, castra mouens dixit,
 triginta sagittariorum millibus à rege se ex Asia expelli.
 Tot enim aureis Darcis à Timocrate Athenas perlatis,

ac inter oratores diuisis, populi ad bellū contra Spartanos
 suscipiendum concitati erant. Ephoris autem in hāc rescri-
 „ pfit sententiam. Agefilaus ephoris 5. Magnam Asiæ partem
 „ subegimus, barbaros profigauimus, & in Ionia multum ar-
 „ morum paruimus. Sed quoniam me ad definitum venire 5
 „ diem iubetis, sequor epistolam, fere autem & anteuertam.
 „ Imperium enim gero non mihi, sed ciuitati ac sociis. ac tū
 „ imperator vere iusteque imperat, quando regitur à legibus
 „ & ephoris, aut si qui sunt alij in ciuitate magistratus. Post-
 „ quam traiccto Hellesponto per Thraciam fuit proficiscen- 10
 „ dum, nullos barbarorum precatus est. sed misit ad singulas
 „ gentes quæsitum, vtrum vellent se per ipsorum regionem
 „ vt sociam, an vt hostilem transire. Cæteris amice cum ad-
 „ mittentibus ac deducantibus, Troadenses, à quibus etiam
 „ Xerxes (vt fertur) transitum donis redemerat, mercedis 15
 „ nomine ab Agefilao postularunt c. talenta argenti, & toti-
 „ dem mulieres. Irrisit eos Agefilaus, dicen(s)que cur non re-
 „ cta venissent acceptum quod petebant, adduxit exercitum
 „ collatisque signis eos multa ipsorum cum strage fudit, at-
 „ que transit. Macedonum regi cum eandem proposuisset 20
 „ quæstionem, isq; se deliberaturum diceret: Deliberet ergo,
 „ inquit, nos pergemus. miratus itaque audaciam eius Ma-
 „ cedo, sibi que timens, vt amicū transire iussit. Thessalor-
 „ rum, qui hostium erant socij, agrum populatus est, missis
 „ Larissam Xenocle & Scytha amicitiæ coeundæ causa. Qui 25
 „ cum comprehensi custodirentur, reliquis grauius hoc fe-
 „ rentibus, ac consentibus debere Agefilaum obsidere at-
 „ que oppugnare Larissam, fatuus nolle se alterius istorum
 „ virorum interitu vel totam mercari Thessaliam, pactis
 „ conditionibus eos recepit. Audito pugnatum esse apud 30
 „ Corinthum, & Spartanorum plane paucos, Corinthiorum,
 „ Atheniensium, reliquorumque sociorum permultos occu-
 „ buisse, nullam in vultu lætitiā, aut ob victoriā animi
 „ elationem præ se tulit: sed alte ducto gemitu, O infeli-
 „ cem, dixit, Græciam, quæ tantum hominum ipsa sibi inte- 35
 „ remit, quantum satis erat ad vniuersos vincendum barba-
 „ ros. Pharsaliis ipsum vrgentibus & exercitum ipsius vexan-
 „ tibus 10 equitibus eos fudit, trophæumque sub Nartha-
 „ cio statuit, & omnium victoriarum hac maxime delectatus
 „ est, quod suo instructo seorsim equitatu, eo solo superasset
 „ hos, qui

*Magistra
 eius.*

*Magno a-
 nimo.*

*Bellainte-
 stina.*

hos, qui re equestri maxime se iactabant. Diphrida Lae-
 dæmone mandatum ei adferente, vt statim ex itinere in Bœo-
 tiam irrumperet: quanquam id statuerat alio tempore &
 maiore cum apparatu facere, paruit tamen magistratu, &
 5 accitis XX. millib. eorum qui ad Corinthum castra habe-
 bant, in Bœotiam inuasit, præliq; ad Coroneam congres-
 sus cum Thebanis, Atheniensibus, Argiuis, & Corinthiis,
 victoriam obtinuit. Et quanquam corpus eius multis vul-
 neribus male fuit ea in pugna multatum, quæ omnium
 10 eius tempestatis fuit teste Xenophonte maxima, nihil ta-
 men reuersus domum in vitæ & victus ratione post tot vi-
 ctorias prosperoq; successus mutauit. Vidēs ciuim quos-
 dam equis alendis sibi arrogare famam ac superbire, Cyni-
 scæ sorori persuasit, vt conscenso curru ludis Olympicis de-
 15 certaret. volens demonstrare Græcis certamina ista non
 virtutis alicuius, sed diuitiarum esse & sumptuum. Cum
 haberet secum studioseq; tractaret Xenophontem sapien-
 tem, suasisit ei vt filios suos Spartam accerferet, ibique edu-
 caret, vt instituerentur omnium pulcerrima disciplina im-
 20 perandi ac parendi. Aliàs interrogatus, quàmnam ob cau-
 sam Spartani aliis feliciores essent, respondit: Quia plus
 quam alij exercent se in imperando & obediendo. Lysan-
 dro mortuo cum inuenisset magnam factionem, quam il-
 le statim post reditum ex Asia aduersus Agesilaum excita-
 25 uerat: animum adiecit ad demonstrandum qualis dum vi-
 ueret ciuis fuisset Lysander. cumque orationem legisset in
 libro relictam, quam Cleo Halicarnassensis composuerat,
 Lysander autem fuerat ad populum habiturus de rebus
 nouis, & immutanda republica: statuit eam in medium
 30 proponere. Sed cum de senioribus quidam ea pellecta vim
 dicendi artificiumque metuens, suaderet ne è sepulcro ef-
 fossum produceret Lysandrum: obtemperauit, eamq; rem
 omisit. Eos autem, qui clanculum se ipsi opponebant, pa-
 lam quidem non incesit. sed conficiens hoc vt quidam *enimici se*
 35 rum se duces aut alio cum magistratu sequerentur, demon-
 strauit eos vbi potestatem adepti essent, malos esse ac rapa-
 ces. accusatis deinde opitulans atque patrocians, familia-
 res sibi redegit, atq; ad se traduxit, ita vt nullum deinde ha-
 beret aduersarium. Petenti à se vt ipsius nomine suis in Asia
 hospitibus scriberet, vt quod iustum erat consequi posset:

Mei quidem, respondit, hospites vltro faciunt quod iustum est, me etiam nihil scribente. Mōstrabat ei quidam vrbis alicuius muros valide admodum exstructos, & quærebat, Pulcrōsne eos iudicaret? respondit: Ita per deos, sed non vt viri, verūm vt mulieres intus habitent. Megarensi cuidam ad se de vrbe gloriose loquenti: Adolefcens, inquit, tui sermones magna opus habent potentia. Quæ alios admirari videbat, eane nosse quidem statuerat. Et cum aliquando Callipides tragediarum histrio, celebris apud Græcos famæ & cui omnes multum tribuerent, primūm ei occurrit. 10
 set atq; salutasset, deinde proterue in comitatum se ingessit, atq; ostentaret, sperans blande se ab Agefilao cōpeltatum iri, tandem diceret, Non agnoscis me rex, neq; inaudiuisti quis sim? intuitus in eum, Nōne, inquit, tu Callipides es mimus? Vt audiret quendam, qui vocem lusciniæ 15
 imitabatur, rogatus renuit, quod diceret se ipsam sæpe audiuisse lusciniam. Menecrates medicus quia in quibusdam desperatis morbis vsus erat successū felici, cognominabatur Iupiter. quo titulo cum vteretur importunius, & ausus fuisset ad Agefilaum scribere, Menecrates Iupiter Agefilao 20
 regi S. non lectis reliquis rescripsit: Rex Agefilaus Menecrati sanam mentem. Cum Conon & Pharnabazus classe regia mare obtinerent, ac oram Laconicæ maritimam oppugnarent, Atheniensium autem Astu muniretur præbente pecuniam Pharnabazo: pacem cum rege Persarum fecerunt Lacedæmonij, miserūtq; vnum de suis ciuibus Antalcidam ad Tiribazum, qui regi ipsorum nomine Græcos in Asia habitantes traderet, pro quibus Agefilaus bellum gesserat. quo factū est improbissime, vt huius rei infamiae particeps esset Agefilaus. Inimicus enim ei erat Antalcidas, pacemq; omnibus viribus machinabatur, quod bello Agefilaus cresceret, summamq; adipisceretur gloriā & potētiam. Enim uerō dicenti Lacedæmonios ad Medorum partes inclinare, Immo, respōdit, Medi potius Laconisant. Interrogatus aliquando, vtra virtutum harum, fortitudinis & iustitiæ, præstantior esset: Respondit nullum fore vsū fortitudinis non præsentem iustitia. omnibus autem iustitiam colentibus, nihil opus fore fortitudine. Asianis regem Persarum ex consuetudine magnum appellantibus, Quid, inquit, maior me est, si non iustior est, neque temperantior?

Qui

*Contētus
 rerum in-
 anium.*

Qui in Asia habitabant, eos aiebat in libertate malos, si ser-
 uirent, bonos esse. Interrogatus, quo quis maxime pacto
 inter homines præclarum inuenire posset nomen: Respon-
 dit, si optima dicat, & pulcherrima agat. Ducem aiebat de-
 bere aduersus hostes audacia, aduersus subditos beneuolentia instructum esse. Quærenti quid pueri esset discen-
 dum, Hæc ait, quibus etiam ad virilem prouecti ætatem v-
 rantur. Ius dicens, cum actor bene dixisset, reus male, atq;
 hic identidē inculcaret, Agesiæ regē tutari leges oportet:
 10 si, inquit huic, domum tibi aliquis tuam perfodisset, aut
 vestem abstulisset, putasne architectū aut textorem tibi o-
 pem laturū fuisse? Pace composita epistolam ad se à rege
 scriptam, & à Persa quodā cum Callia Lacedæmonio mis-
 sam, in qua hospitium & amicitia offerebantur, nō accepit:
 15 sed regi iussit renunciare, nihil eum opus habere ad se mit-
 tēdis epistolis. nam si amicū se rex Spartæ & Græciæ gerat,
 ipsum summopere ei fore amicum: sin verò insidiari depre-
 hendatur, non esse quod se credat ipsi amicum fore, etiam
 si plurimas acciperet epistolas. Ferunt eum, quod impēsi-
 20 sime liberos suos diligebat, domi in arundine cum pueru-
 lis ludendi gratia equitasse. conspectumq; à quodam ami-
 corū, monuisse, ne cuiquā hoc diceret priusquā ipse quoq;
 pater esset factus. Continenter cum Thebanis bella eo ge-
 rente, & in pugna quadam vulnerato, Antalcidam ferunt
 25 dixisse: Pulcrā à Thebanis mercedem reportas, quos in-
 uitos & nescientes pugnare docuisti. Nam reuera narratur,
 nunquam bellicosiores fuisse Thebanos, quàm tum tem-
 poris, ob crebras Lacedæmoniorum aduersus eos expedi-
 tiones. Idcirco etiam Lycurgus ille priscus in legibus, quas
 30 Rhetras appellant, vetuit sæpe contra eosdem bellum gere-
 re, ne ij bellandi rationem discerent. Vt intellexit mole-
 stum esse sociis, quod in continentibus expeditionibus
 paucos Lacedæmonios ipsi tanta multitudo sequi cogē-
 rentur: vt eorum numerum demonstraret, omnes socios
 35 iussit inter sese permixtos sedere, seorsim Lacedæmonios.
 Tum præconis voce surgere iussit, primum figulos, & post-
 quam hi surrexerunt, fusores deinde ærarios, tum fabros, *Milites*
 post architectos, deniq; singulorum artificiorum id genus *Verr.*
 tractatores. ita factū est, vt vniuersi prope socij surgerēt, ne-
 mo Lacedæmoniorū: his enim per leges non licet tractare
 vllam

*Gloria.**Iudicis of-
ficium.**Amor li-
berum.*

vllam sordidam artem. ridens ergo Agesilaus, Videtis, in-
 quit, quanto nos plures quam vos milites emittamus. In
 Leuctrica pugna multi Lacedæmonij fugerant, & obnoxij
 erant infamæ legibus decrete. Ibi cum Ephori viderent vr-
 bem viris vacuam, quæ tunc militibus opus habebat, cogi-
 tabant quo pacto saluis legibus illos tamen infamia liber-
 rarent, ideoq; Agesilao munus legis ferendæ iniungebant.
Callide. Is in publicum progressus, Nouarum, inquit, legum autor
 quidem non fuero: neque enim iis quæ sunt addere, detra-
 here, aut in iis mutare quicquam velim. Bene autem ha- 10
 bet, vt leges nostræ à crastina die sint ratæ. Epaminondam
 autem tanta cum procella & æstu irruentem, quanquam
 pauci essent in vrbe, arcuit tamen Lacedæmone & repulit.
*In duce
quantum
situm.* In pugna ad Mantineam hortatus est Lacedæmonios, vt o-
 mnis reliquis in solum pugnarent Epaminondam: solos, 15
 inquit, prudentes esse fortes, & illo necato facilem fore
 de reliquis victoriam, fatuis & nullius precij hominibus.
 idque consilium exiit comprobauit. Cum enim vinceret
 Epaminondas, fugientibus Spartanis, hunc se obuerten-
 tem & suos vocantem quidam Lacedæmoniorum lethali 20
 vulnere deiecit. tum reuersi à fuga qui cum Agesilao erant,
 dubiam reddiderunt victoriâ, Thebanis multo quam antè
 deterioribus, Spartanis melioribus apparentibus. Cum pec-
 unia egerent Spartani ad bellû, vt qui militem alerēt pe-
 25
Vestis. regrinum, profectus est in Ægyptû Agesilaus mercede mi-
 litaturus regi Ægypti ipsum accersenti. Contemnebatur
 autem ab Ægyptis ob vestitus vilitatem, putantibus regē
 Spartæ itidem vt Persarû virosos se in splendido corporis or-
 natu, male de regib. opinâtes. ostendit enim eis deinde ma-
 iestatem & gloriâ prudentia & virtute esse parandam. Cum 30
 aut videret eos qui in pugna adfuturi ipsi erant, terreri pe-
 riculo ingraente ob multitudinē hostium, (erant enim du-
 centa millia) & suorum paucitatem: statuit ante cōflictum
*Frans & i-
les.* nemine conscio animare eos: itaq; manui substrata victo-
 riam inscripsit, sumtoq; ab ariolo iocinore id in manû no- 35
 tis inscriptam imposuit, aliquandiuq; tenens, dubitare se
 & animi pendere simulauit tantisper dum à iocinore notæ
 receptæ & infixæ sunt. tunc sociis eam scripturâ monstrauit,
 deos, inquit, ea victoriam polliceri. quod illi certû boni
 successus argumentû se habere putantes, ad pugnâ animati
 sunt.

funt. Hostibus verò ob multitudinem castra Ægyptia fossa circumuenientibus, ac Nectanabi (huic enim regi opitulabatur) iubente in aciem educere ac decertare, Nolo, inquit, prohibere quin hostes, id quod agunt, nobis fiant æquales. *Strategema.*
 5 Pòt exiguò interstitio fossæ extremis distantibus, acie eo ipso in interstitio instructa, æqualis latitudinis ordinibus cum hoste pugnans, paucis suis militibus fudit hostes, magnamq; eorum stragem edidit, ac multum pecuniæ Spartam misit. Ex Ægypto in patriam reuertens, ea in navigatione vita decessit. cum quidem suis moriens mandauit, ne vllam sui corporis fingendo aut alia imitatione pararent imaginem. Si quidem enim, aiebat, à me est præclare factum, *Vera gloria.*
 10 id monumentum mihi erit. sin verò, ne omnes quidem statuar, hominum opera illiberalium.

15 AGESIPOLIS Cleombroti F. narrare quodam Philip-pum intra paucos dies Olynthū euertisse: Atqui per deos, inquit, multis modis maiori tēporis spacio talem urbē non condet. Obiicienti ipsum, cum rex esset vnà cum iis qui ætate florebant obsidem fuisse, non mulieres & filios ipsorum
 20 Quia enim, respondit, iustum rectumq; est nosmet ipsos nostra peccata luere. Cū velleret patria carulos accerere, quidamq; diceret venales Sparta nullos esse: Antè, inquit, ne viri quidem: sed nunc sunt.

AGESIPOLIS Pausaniæ F. Atheniensibus de controuersia qua ipsi cum iis erat ad Megarensium prouocantibus iudicium: Turpe, inquit, est principibus Græciæ minus esse ius norum quam Megarensibus.

AGIS Archedami F. mandantibus aliquando Ephoris, vt assumta iuuenum manu quædam in eius patriam sequeretur, qui esset ipsum in arcem ducturus, respondit: Quo- *Proditor.*
 30 modo verò, Ephori, cōuenit tot iuuenes credere ei, qui suã ipsius patriam prodit. Interrogatus quænam disciplina maxime exerceretur Sparta, Peritia, inquit, imperandi & parandi. Dicebat Spartanos non quærere numerum hostium,
 35 sed vbi sint. Ad Mantineam cum prohiberetur pugnare quod hostes numero vincerent, Necessè est, inquit, contra multos pugnet, qui multis vult imperare. Interroganti quot essent Lacedæmonij, respondit, quanti ad profugandos malos sufficiunt. Corinthiorum muros perambulans, cum spectasset eos sublimes, validos, & in longum porrectos spacium,

spacium. Quamnam, inquit, hic habitant mulieres? Sophi-
 sta dicenti Orationem omnium rerum esse optimam: Pro-
 inde, inquit, tu, cum taces, nullius es precij. Cum Argiui
 accepta clade ferocius ei occurrerent, videretq; sociorum
 plerosq; turbari, dixit: Bono este animo viri. vbi enim nos, 5
 qui vicimus, formido incessit, quid putatis animi esse iis q
 à nobis fuerunt superati? Abderitarum legato, cum is tan-
 dem facto multa loquendi sine interrogaret quid ciuibus
 renunciaret: Hoc, inquit, referes, quam diu tibi visum fuit
 loqui, tam diu me tacitum audiuisse. Laudantibus Eleos, q¹⁰
 iustissime Olympicum certamē administrarent, Quid præ-
 clari est, inquit, quod toto quinquennio per vnicum diem
 iusticia funguntur? Narrantibus inuidere ei quosdā ex alte-
 ra familia, respōdit: ergo & sua ipsis molesta erunt mala, &
 præterea mea amicorumq; meorū bona. Consulenti vt fu-¹⁵
 gientibus hostibus trāsitum cōcederet: Quomodo, inquit,
 pugnabimus contra eos qui fortitudine freti nos subsistūt,
 si in eos non pugnamus, qui præ timiditate fugiunt? Pro-
 ponente quodam de libertate Græcis paranda sententias,
 nō ignobiles quidē eas, sed exsecutu difficiles, Tua, inquit, 20
 hospes verba vim & pecuniam desiderant. Dicenti Philippū
 ipsis Græciam inaccessam redditurum, Sufficit, inquit, nobis
 ò hospes in nostra versari terra. Legatus Perintho Spar-
 tam missus, cum post longum sermonem demum interro-
 garet Agin quid responsi Perinthiis ferret, Nihil aliud, in-²⁵
 quit, quam te, me tacente, vix tandem finem loquendi fe-
 cisse. Cum solus venisset ad Philippum legatus, isq; quæret
 quid ita solus venisset: respondit, Etenim ad vnum. Iam
 seniori quidam antiquas leges videns elanguescere, pra-
 uasque alias obrepere, dicebat Spartæ res fursum versum 30
 inuerti. Tum Agis per iocum: Hoc si fit, rationi cōuenienter
 fit. nam puer ipse audiui patrem meum dicere, fursum
 versum res sua ætate inuersas esse: idemq; is se puerum ex
 suo patre audiuisse aiebat. non ergo mirandū, si posteriora
 prioribus deteriora eueniunt, sed si quando meliora aut si-
 milia obtingerēt. Interrogatus, qua quis ratione liber per-
 maneat, respondit, si mortem despiciat.

*Omnia in
 pesus ruunt*

Agis iunior Demade dicēte præstigiatores gladios La-
 conicos ob paruitatem deglutire: Atqui, inquit, gladiis po-
 tissimum nos hostem impetimus. Prauo homini sæpenu-
 mero

mero interroganti quis esset Spartanorum optimus, respōdit: Qui tui est dissimilimus.

AGIS ultimus Lacedæmoniorum regum per insidias captus, indictaque causa damnatus ab Ephoris, cum ad laqueum, quo erat ei guttur elidendum, duceretur, cuidam ministrorum, quem plorare videbar: Desine, inquit, me desistere, qui tam scelerate atq; iniuste morti addictus, meliorem quam qui me necant conditione: atq; sic locutus funi ultro cernicem præbuit.

10 ACROTATVS parentibus postulantibus vt iniusta quadam in re operam ipsis nauaret, cum aliquandiu verbis repugnasset, grauius vrgentibus dixit: Quandiu vobiscum vixi, nullam habui iustitiæ noticiam, sed postquam me patriæ eiusq; legibus tradidistis, & ad iustitiam honestatemq;

15 pro viribus facultatibusq; vestris erudiuitis, conabor his potius quam vobis obsequi. ac quoniam vultis me optima agere, optimum autem est cum priuato, tum multo etiam magis principi id quod est iustum: agam quæ vultis, quæ verò dicitis detrectabo.

20 ALCAMENES Telecli F. interrogatus quo quis pacto regnū optime conseruaret, respondit, Si lucrū posthabeat. Alij quærenti cur dona à Melieni nō accepisset, respōdit: Quia iis acceptis fieri non poterat vt cum legibus pacē tenerem. Dicenti viuere ipsum contracte, satis alioquin opulentum, præclarum esse dixit eum qui scit locuples viuere secundū rationem, non secundum cupiditates.

ANAXANDRIDAS Leonis F. cuidam exsiliū iniquius ferenti, Heus tu, inquit, non quod ab vrbe sis alienus grauius est ferendum, sed si à iustitia esses. Ei qui ad Ephoros

30 quædam non quidem abs re, sed tamē verbosius æquo verbis explicuerat, Hospes, inquit, re necessaria vteris nulla necessitate postulante. Interroganti cur seruis heilotibus agros colendos traderent, nō ipsi curarent, respōdit: Quia eos parauimus nō vt ipsos, sed vt nos curaremus. Quodam

35 dicente, Existimationem esse damnosam, beatumque fore qui de gloria paranda non laboret: hac, inquit, tua ratione flagitiosi erunt beati. qui enim sacrilegus aut iniuste agens famam curaret? Interroganti cur Spartani in bellis ita audacter pericula adirent, Respōdit, Quia nobis studio est vt solliciti simus de vita, non, vt alij, timidi. Interrogatus cur

cum

Capitalia iudicia. cū de vita anquiritur in iudicio, causa à senioribus per complures dies disceptetur, & qui absolvitur, nihilominus reus maneat, sic respondit. plures dies iudicio impendi, q̄ in tali casu error correctionem nō admittat. interim reum legibus teneri, quia hac lege permissum sit rectius aliquid de eo decernere.

Pecunia. ANAXANDER Eurycratis F. quærenti cur pecuniam in ararium non colligerent Spartani, respondit, Ne custodes ei præfecti corrumpantur.

ANAXILAS, miranti cur Ephori regibus non allurgere-
rent, cum quidem ab iis constituantur: causa, inquit, eadē est cum ea, ob quam ephori sunt.

ANDROCLIDAS Laco mutilatus pedem inter milites suum nomen professus est. prohibentibus, quod eum mutilum dicerent, Atqui, inquit, non fugientem sed manentem 15 oportet pugnare in hostes.

ANTALCIDAS in Samothrace cum initiaretur sacris, quærenti sacrificulo ecquid in vita flagitij perpetrasset: si quid, ait, tale egi, norunt ipsi dij. Atheniēsi indoctos appellati Spartanos, dixit: Soli ergo nos nihil à vobis didicimus 20 mali. Alij Atheniēsi dicenti, Nos quidem vobis à Cephiso pulsus sæpenumero institimus: at nos, inquit, vobis nunquā ab Eurota. Interroganti qua quis ratione maxime placere hominibus posset, respondit, Si dicendo eos quamplurimum delectet, & in vitæ vsu maxime eis proficit. Sophistæ 25 cuidam laudationem Herculis recitare volenti, Quis enim, inquit, eum vituperat. Agesilao in pugna à Thebanis vulnerato, Habes, ait, mercedem, qui eos inuitos ignarosque pugnare docueris. videbantur enim Thebani continentibus in ipsos Agesilai expeditionibus bellicosi facti. 30 Muros Spartæ aiebat esse iuvenes, terminos autem hastarum cuspides. Quærenti cur in bello gladiis breuibus vterentur Spartani, causam reddidit, quod comminus in hostem pugnarent.

ANTIOCHVS Ephorus, audito Messeniis agrum à Philippo adsignatum, An, inquit, vim quoq; iis dedit, vt de eo pugnantes vincant?

Mulier. ARIGVS, cum quidam non suas, sed alias laudarent mulieres, Me hercle, inquit, de pulcris & honestis mulieribus nihil temere dici, sed quales eæ sint omnibus extra maritos

maritos ignotum esse oportebat. Aliquando per Selinuntem Siciliae urbem iter faciens, in monumento quodam hanc legit inscriptionem:

Hos refinguentes Mars forte tyrannida sauis,

5 *Pone Selinuntis membra stravit humi.*

tum ille: meritò estis interfecti aggressi tyrānidem ardentem refingere, quæ vt conflagraret sinere potius debetis. *Salsc.*

ARISTO, laudante quodam Cleomenis dictum, qui
10 interrogatus quod esset boni regis officium, responderat, Amicis bene, inimicis malè facere: quanto, inquit, mi ho- *Prædeter.*
mo rectius erat amicis bene facere, ex inimicis autem amicos redigere? Hoc constat primum omnium Socratem dixisse, eique vt auctori acceptum fertur. Interroganti quot
15 numero essent Spartani, Tot, inquit, quot hostibus arcendis sufficiant. Recitanti cuidam funebrem orationem in Athenienses à Lacedæmoniis cæfos, Quales, inquit, putas esse nostros, à quibus ij victi sunt?

ARCHIDAMIDAS laudanti Charilaum, quòd omnibus ex æquo mitis esset, Quis potest, inquit, iuste laudari, qui etiam malis se mitem præbet? Cuidam Hecateum sophistam reprehendenti, quòd in cõuictum ipsorum (quod
20 syllition vocant) receptus nihil diceret: Ignorare mihi videre dixit, Quòd qui dicere nouit, tempus etiam dicendi
25 non ignorat. *Grauior.*

ARCHIDAMVS Zeuxidami F. interrogatus quānam Spartæ præessent, respõdit: Leges, & magistratus ex earum præscripto. Laudanti citharœdum, eiusq; peritiam admiranti, Mi homo, inquit, quis honor apud te erit bonis
30 ris, qui fidicinem adeo laudes? Cùm ei quidam fidicinem commẽdaret ab arte. Hic quidem (dixit alio commonstrato) apud nos bonus est iuris cõctor, innuens nihil præstare artificium quod voce voluptatem gignit ei quod obsonio aut in sculo parando voluptatem conciliat. Pollicenti se
35 num ei dulce redditurum, Quid attinet, inquit? nam & plus infumetur, & virilia reddet minùs vtilia. Castra ad Corinthū metatus, cùm è loco muris vicino prodire lepores cerneret, commilitonibus dixit: Facile hostes in nostrā venient
40 potestare. Arbitrè à duobus sumtus, adductus in Chalcice Mineræ fanū sacramēto deuinxit, staturos eos ei quam
45 tulisset *Omen.*
Arburiū
egregium.

tulisset ipse sententiæ. qua confecta re, Pronunciare se dixit, non nisi prius composita lite ipsos inde abire debere. Cum Dionysius Siciliae tyrannus preciosas vestes filiabus ipsius misisset, non accepit, quod vereri se diceret, ne his induta deformes ipsi viderentur. Filium audacius pugnare s aduersus Athenienses videns, Aut adde, inquit, viribus aut aliquid de animi elatione deminue.

Silentium. ARCHIDAMVS Agesilai F Philippo, qui ad Charoneâ victoria potius literas ad ipsum dederat asperiores, rescripsit: Si tuam umbrâ metiaris, deprehendes eâ nihilo quàm 10 fuit ante victoriâ esse longiorê. Interrogatus quantum regionis Spartani possiderent. Quanto, respõdit, hasta pertinimus. Cum Periander nobilis laudatissimusq; medicus inepta carmina scriberet. Quânam, inquit, de causa pro scito medico cupis appellari malus poeta? In bello cõtra Philip 15 pum, suadētibus nonnullis procul à patria pugnandū esse: Non hoc ait, considerandum est, sed an hostem prælio superaturi sumus. Laudantibus ipsum quod Arcades vicisset, respondit: Præstabat eos prudentia à nobis, quàm virib. esse victos. Impressione in Arcadiam facta, Eleos Arcadibus, au 20

Inepta curiositas. xilium velle ferre audiens, sic per litteras compellauit: Archidamus Eleis: bonum est quiescere. Sociis in bello Peloponnesiaco quærentibus quantū pecuniæ sufficeret, & tributum definiri sibi postulantibus, respondit: Bellum determinato sumtu non ali. Vbi catapultæ tormentū vidit, tum 25 primū ex Sicilia allatum, exclamauit: Hercules, periit viri virtus. Græcis ei obtemperare, & soluere cum Antigono & Cratero Macedonibus inita pacta, libertatemq; amplecti recusantibus, quia molestiores sibi fore Spartanos quàm Macedonas putarent: Quis, dixit, semper voce vitur eadē: 30 homo multis & variis, dum conficiat quod vult.

Belli summa.

Perfidia.

A STYCRATIDAS, postquam Agis rex ad Megalopolin fuit ab Antigono pugna superatus, dicenti, Quid facitis Spartani? an Macedonibus seruietis? respondit: Quid? an impedire potest victor, ne pugnantibus pro sparta mortem 35 oppetamus?

B I A S insidiis circumuentus ab Iphicrate Atheniensium duce, militibus interrogantibus quid faciendū foret: Quid aliud, inquit, quàm vt vos vestræ salutis consulatis, ego pugnans moriar.

BRASI-

BRASIDAS murem in caricis à se deprehensum morsus ab eo dimisit. tum ad eos qui aderant conuersa oratione, Nihil, inquit, ita est exiguum quod saluum esse non possit, *Vltio.* si vim inferentes vlcisci audeat. Quadam in pugna telo per clypeum adasto vulneratus, hoc ipso euulso hoste interfecit. interrogatusq; quomodo vulnus accepisset, respondit, Prodent me clypeo. In bellum proficiscens, Ephoris scriptit: In bello omnia pro viribus recte geram, aut moriar. Postquam liberatis qui in Thracia habitabant Græcis in acie cecidit, missiq; Spartam legati matrem eius Argileonidem conuenerunt: primum ea quaesiuit, an honeste obiisset Brasidas. deinde Thracibus eum laudibus ferentibus, nullumq; aliu esse tale dicentib. Erratis, inq; hospites, vir egregius fuit Brasidas, sed multos eo prestatiores habet Sparta. *Modeste.*

15 DAMONIDAS vltimo loco in choro constitutus ab eo qui chorum instituebat, Laudo te, inquit, chorage, qui rationem inueneris, qua hunc quoq; locum alioqui ignominiosum cohonestares. *Fiducia sui.*

DAMIS ad postulata ab Alexandro missa, quibus decre-
20 to se in numerum deorum referri iubebat: Concedimus, inquit, Alexandro, vt si ita vult, Deus vocetur.

DAMINDAS Philippo in Peloponnesum irruente, cum quidam diceret fore in periculo Lacedæmonios, nisi cum illo pacem componerent, respondit: Semiuir, quid mali nobis expectandum est, qui mortem contemnimus. *35*

DERCYLLIDAS Pyrrho, ad quem iam exercitum ad Spartanorum fines habentem missus erat legatus, imperanti vt Cleonymum regem suum reciperent, alioqui cognituri nihilo se aliis fortiores esse, respondit: si deus es, nihil te metuimus, nulla tibi orta à nobis iniuria. sin homo es, nihil d nobis praestas. *30*

DEMARATVS verbis ab Oronte asperius tractatus, dicenti, Duriter te vsus est, Demarate, Orontes: respondit: Nihil is in me peccauit. nocent enim non qui ex odio loquuntur, sed qui gratiam blandiendo captant. Interrogatus à quodam, cur Lacedæmone ignominia notarentur qui clypeum amisissent, non item qui galeam aut thoracem, retulit: quia hæc sui ipsorum causa gestant, clypeum autem propter communem ordinem. Audito fidicine, videtur, inquit, mihi hic non malè nugari. Quodam in con- *Adulatio.*

fessu interrogatus, an ob fatuitatem quidam, aut potius ob
 inopiam materiæ dicendi taceret: atqui, inquit, stultus ta-
Silentium. cere non posset. Quærenti cur rex cum esset Sparta exula-
 ret, respondit, Quia maiore vi sunt leges eius ciuitatis. Per-
 sæ cuidam, qui continentibus largitionibus amasium ipsi
 abstulisset, ac diceret, Heus Laco, venatus sum tuum ama-
 sium, respõdit: Minimè verò, sed emisisti. Defecerat quidam
 Persa à rege suo, eiq̃ue Demaratus persuaserat vt ad regem
in se. rediret. quem cum deinde rex necare intenderet, Demara-
 tus: Turpe, inquit, est ò rex, à quo cum inimicus esset pec-
 10 nas sumere defectionis non potuisti, eum nunc amicum fa-
 ctum abs te occidi. Parasito regis sæpius exiliū sibi expro-
 branti respondit: nolo, hospes, tecum contendere: consum-
 si enim vitæ ordinatos sumptus.

ECPREPES Ephorus Phrynidis musici fides de nouem 15
 duas ascia præcidit, inquiring: Noli maleficium Musicae
 inferre.

Menda- EPÆNETVS omnium aiebat peccatorū & iniuriarum
cium. causam esse homines mendaces.

Silium fr̃i EVOIDAS quosdam audiens mulierem laudantes a- 20
Argutus lienam improbauit, dicens omnino de muliebri natura a-
 pud exteros nullum debere sermonem fieri.

In philoso- EVDAMIDAS Archidami F. Agidis frater, videns in A-
phos. cademia Xenocratem iam grandi natu cum discipulis phi-
 losophantem, quæstuit quisnā esset iste senex. cum respon-
 25 deretur, sapientem esse, vnumq̃; eorum qui virtutem quæ-
 rerent: Et quando, inquit, vtetur virtute, si eam etiam num
 quærit. Philosophum audiens differere solum sapientē esse
 bonum imperatorē: oratio (inquit) admiratione digna, sed
 qui dicit fidem non meretur: non enim eum tubæ circum-
 30 sonauerunt. Venit ad Xenocratem Eudamidas, cum is expli-
 cato proposito iam finem dicendi fecisset. ac quodā comi-
 tum dicente, Quādo nos venimus, iste cessat differere: non

Argute. iniuria, inquit, si quidem iam dixit quæ voluit. addenti, At-
 qui expediebat audire, Quid, ait? an si veniremus ad iā cœ-
 35 natum, iuberemus eum denuò cœnare? Interrogatus cur
 cuius bellum contra Macedones molientibus ipse quie-
 scere decreuisset: Quia, inquit, nihil mihi opus est eos erro-
 ris conuincere. Alio Persicis victoriis cōmemorandis eum
 ad bellum exhortante, Videris, inquit, mihi ignorare hoc
 idem

idem esse, ac si quis quod *CID.* oues superasset, contra *L.* lupos pugnandum sibi duceret. Cum fidicen quidam placisset, rogatus qualis sibi is videretur, respondit, Magnus delinitor in re exigua. Laudante quodam Athenas, dixit Non posse meritò laudari eam urbem, quam nemo propterea dilexerit, quòd ibi esset factus melior. Arguo cuidam dicenti Lacones deteriores peregrinando fieri, quòd à patrii desciscerent legibus: At vos, inquit, Spartam venientes non deteriores abitis sed meliores. Alexandro apud *Peregrinatio.*

17 Olympiam edicto omnibus exsulibus reditum in patriam permittete solis demtis Thebanis: Infelix quidem, aiebat, ò Thebani hoc edictum vobis, sed gloriosum. vos enim solos Alexàder metuit. Interrogatus cur ante pugnam Musis litarent, Vt, inquit, actionibus bona obuenant

15 praconia.

EVRYCRATIDAS Anaxàdrjdx F. quærenti cur de contractibus Ephori quotidie ius dicerent, respondit: vt etiam in hostico nobis inuicem credamus.

20 *ZEVXIDAMVS* interroganti cur de fortitudine leges non scriptas seruarent, neque potiùs literis conceptas adulescentibus ad legendù proponeret: quia, inquit, condocerit *Leges non scriptas.* faciendi sunt vt facinoribus fortib. potiùs animù aduertat, quàm scripturis. Etolo quodã dicente virtutem affectanti commodiorem bello pacem esse, Non per deos, inquit:

25 sed ei mors quàm vita est melior.

HERONDAS Athenis quodam ocii damnato, cùm adesset id quæ inaudiuisset, ostendi sibi petiit istum, qui tam liberalis criminis esset conuictus. *Occum.*

30 *THEARIDAS* gladium in cote subigens, cùm interrogaretur acutusne esset, respondit: Acutior est quàm calumnia.

THEMISTEAS vates cum prædixisset Leonidæ regi suam & exercitus ad Thermopylas interuencionem, rex quæ ipsum Spartam ablegaret, prætextu co vt quæ futura erant significaret, re ipsa autem vt ne vnà is periret: non sustinuit abire, sed dixit Pugnatum se, non nunciatum à patria missum.

THEOPOMPVVS interroganti quò quis modo regnum tutò conseruaret, respondit: Si iustam dicendi libertatem amicis permittat, & subditorum, quantum fieri potest, vin-

*Crisis of
ficium.*

dicet iniurias. Hospiti dicenti apud suos se ciues amatorem
Laconum appellari, Præstabat, inquit, ciuium te quàm La-
conum amatorem nominari. Legato Elide misso, qui se ic-
circo à ciuibus aiebat missum, quod solus Laconicam imi-
taretur viuendi rationem, Tuane, inquit, an reliquorum
vita melior est? respondente, suam: Quomodo igitur, in-
quit, seruari ea potest vrbs, in qua de multis vnus tantum
est bonus? Dicete quodam Spartæ salutem inde proficisci,
quod reges ad imperandum haberet idoneos, dixit nõ eam
esse causam, sed quod ciues obedire nossent. Pylis maiores
honores ipsi decernentibus scripsit, Mediocres honores
tempore augeri, nimios aboleri. 10

Salus reip.

THERYCION Delphis domum proficiscens cùm in
Isthmo videret angustias ab exercitu Philippi occupatas
dixit: Malis vobis, ô Corinthii, ianitoribus vtitur Pelo-
ponnesus. 15

Mors.

THECTAMENES iudicio Ephorum additus morti,
subridens abibat. ac quodam eorum qui vnà aderant ro-
gante ane Spartę leges cõtemneret, Nequaquam, respon-
dit, sed lætor hanc mihi soluendam esse multam, quam
possum neque precario neque sænori sumpto quoquam
præstare. 20

HIPPODAMVS cum Agide, qui tum Archidamo in ca-
stris aderat, à rege Spartam missus vt ibi res necessarias ad-
ministraret, Nonne, inquit, honestiùs moriar pro Sparta
fortiter pugnans? (excesserat autem iam annũ ætatis octo-
gesimum) ac postmodo sumptis armis, & ad dextram regi
aditans in pugna mortem obiit.

Confortie.

HIPPOCRATIDAS satrapæ Cariæ, qui per litteras si-
gnificabat Lacedæmonium quendam consciũ insidiarum
sibi structarum eas reticuisse, querebatque quid de eo sta-
tuendum putaret, rescripsit: Si magno eum aliquo affecisti
beneficio, interfice: sin verò, ditione tua eiice, hominem ob-
timiditatem ineptum ad virtutem Occurrēti adolescenti,
quem amator insequeretur, & colorem præ pudore mu-
tanti: Cum talibus, dixit, ambulandum est, quibus cum vi-
sus eundem retineas colorem. 30

Iustæ.

CALLICRATIDAS classis præfectus. Lylandriamicis
flagitantibus vt faceret ipsis facultatem cuiusdam inimici
interficiendi, eoque nomine L. talenta offerentibus, quan-
quam

quam ad stipendia naualibus sociis danda admodum pecuniae egeret, tamen non assensit. cumque Cleander vnus de consiliaris diceret, Ego si tuo fuisset loco, accepissem: respondit, Et ipse, si tuo. Sardes ad Cyrum iuniorem profectus confederatum Lacedaemoniorum, impetrandae gratiae pecuniae ad stipendia classiaris persoluenda, qua prima venit die, Cyro iussit nunciari se ipsius colloquium expetere: cumque responsum esset Cyrum bibere, Expectabo, inquit, donec biberit. ac tum quidem, vt sensit congregandi sibi copiam non fieri, discessit relicta de se rustici hominis opinione. Postridie iterum audiens eum bibere, & non pro-
 10 dire: fatus maiorem in id operam impendendum, vt nihil indignum Sparta agatur, quam pecunia vt paretur, Ephesum rediit: diris persecutus eos, qui primi sese barbarorum
 15 contumeliis exposuissent, eosque docuissent propter diuitias aliis insultare. iurauitque coram praesentibus, se, vbi primum Spartam rediisset, omnia conaturum vt Graecos in concordiam redigeret, barbaris ita terrori futuros, neque eorum auxiliis, dum se inuicem premerent, opus posthac
 20 habituros. Interrogatus quales viri essent Iones, respondit: In libertate mali, serui boni. Cum Cyrus classiaris stipendia, ipsi aut xenia misisset, remissis xennis sola accepit stipendia, Nihil sibi cum Cyro opus esse priuata amicitia: ad se enim pertinere, eam, quae cum republ. Lacedaemonio-
 25 rum esset facta, inquit. Apud Arginusas nauali proelio decertaturus, Hermoni gubernatori monenti ex re esse classem abducere, quod multo plures essent Atheniensium triremes, respondit: Quid tum postea? fugere quidem & turpe est, & damnosum Spartae, optimum est manentem
 30 aut mori, aut vincere. & ante conflictum cum audiret aruspice ex extis vaticinari exercitui victoriae, duci obitum, nihil territus, idque tantum fatus, Non in vnus vita verti res Spartae: ac se mortuo nihil decessurum patriae, decessurum autem si hostibus cedat. Cleandrum suo loco subire iussit praefecturam classis, & ad proelium nauale se contulit. in quo
 35 eo occubuit.

CLEOMBROTUS Pausaniae F. hospiti cum patre de virtute contendenti, Eo vsque, inquit, pater te praestabit, dum & tu genueris.

CLEOMENES Anaxandridae F. Homcrum Lacedaemoniorum

B 4

Homerus.
Hesiodus.

*Persidia
non impu-
nis.*

Improbe.

*In Verbo-
sum.*

*Scite in
maledicū.*

moniorum poetam esse dicebat, Hesiiodum seruorū heilo-
tum. illum enim præcepisse quomodo bellum sit gerendū:
hunc, quomodo agri colendi. Hic aliquot dierum pactus
cū Argiuis inducias, cum explorasset eos tertia nocte dor-
mire, fretos induciis, adortus partim necauit, partim cepit,
cumque ei violatio iurisiurandi exprobraretur, negabat se
vnā cum diebus noctes in eo complexum fuisse. addebāt-
que aliās quocunque quis hostes modo læderet, & apud
deos & apud homines summo iure factum putari. Vsu tamen
ei venit, vt & tum Argis (quorum occupandorum gra-
tia fidem fefellerat datam) nō potiretur, cum mulieres Ar-
giuæ arma è templis detrahentes iis eum propulsarent: &
postmodò mente captus, arrepto quodam cultro à talis
vsq; ad loca lethalibus opportuna vulnerib. sese dissecaret,
itaq; inter ridendum ac ringēdum vita abiret. Vate dehorte
tante à ducendo ad Argos exercitu, ignominiosumq; fore
discessum inde prædicente, duxit tamē eam ad urbē: cumq;
portas inuenisset clausas, & mulieres in muris stantes: Hic
tibi, inquit, videtur inglorius recessus, vbi mortuis viris mu-
lieres portas occluserunt? Argiuis ei periurium & impieta-
tem exprobrantibus: Penes vos est, inquit, malè vt mihi di-
catis: penes me, malè vt vobis faciam. Legatis à Samo pro-
lixā prorsum oratione hortātibus vt bellū Polycrati tyran-
no faceret, sic respondit: Eorum quæ dixistis, prima nō me-
mini, ideoq; ne media quidem intelligo: vltima verò mihi
non probātur. Cūm maritimus prædo incursionē in agrū
fecisset Laonicū, essetq; deprehensus, ac diceret, Se nō ha-
buisset vnde stipendia militibus suis persolueret, neq; se ab
habentibus potuisse impetrare vltro vt darent, itaque ve-
nisse, vt vi auferret: Compendiosam hanc esse dixit maliciā. 30
Maledictis ab improbo quodam profcissus, videre, inquit,
mihi propterea omnibus malè dicere, vt nobis defenden-
dis nostris conuiciis tempus de tua malicia dicendi præri-
piatur. Quodam ciue dicente bonum regem debere vsque-
quaque benignum esse: Sanè, inquit, dum non exponat se
cōtemtui. Diurno vexatus morbo, cūm animum iustra-
toribus nōnullis atq; ariolis, de quibus antè diuersum sen-
serat, aduerteret, mirātū factum: Quid, ait, miraris? nō sum
idē qui ante, mutatus itaque & sententiā mutauī. Sophista
quodam de fortitudine differente, affatim risit. dicentique,
Quid

Quid rides Cleomenes, audiens de fortitudine disserentem, cum quidem rex sis: respondit. Idem, hospes, fecissem hoc argumentum tractante hirundine: aquila autem perorante, quietissimè audiuissem. Cum Argiui diceret se acceptam
 5 cladem exfarcituros (Græci hoc anamacheisthæ dicunt: macheisthæ pugnaturum esse) miror, inquit, si duarum syllabarum additio meliores vos, quâ eratis antè, reddidit. Delicatusculam viuendi rationem obijcanti, retulit: præstat hoc, *Salsè.*
 10 quam iniustū esse. tu quidem, etiam si satis locuples, tamen amore pecuniæ teneris. Quidam ut fidicinem ei commendaret, cum aliàs laudabat hominem, tum optimum de Græcis fidicinem esse aiebat. huic Cleomenes quodam, qui ponè erat, ostenso, Mehercle, dixit, hic apud me coquorum optimus est. Mæander Sami tyrannus ob irruptionem Per-

15 sarum Spartam confugerat, eique ostendebat quantum pecuniæ attulisset, donoque offerebat quantum accipere vellet. accepit nihil: sed veritus ne alijs ciuium ea largiretur, *Pecunia.*
 20 Ephoros se contulit, atq; è re Spartæ fore docuit, si hospes suus Samius Pelopóneso discederet, ne quem corrumpere Spartanum. Ephori parentes consilio, ea ipsa die publico edicto cedere Mæandrum iusserunt. Dicenti, cur Arguios deuictos, qui sæpe bellum contra vos susceperunt, non deleuistis? Nequaquam delendi nobis sunt, respondit, ne desint qui iuuenes nostros exerceant. Interroganti cur Spar-

25 tani capta ex hostibus spolia non suspenderent dijs: Quia, *Spolia.*
 inquit, è timidis capta sunt. talia autem neq; cerni ab adolescentibus, neque dijs dedicari conuenit.

CLEOMENES Cleombroti F. offerenti gallos pugnaces, eosque inter pugnandum mori dicenti: Quin tu, inquit,
 30 aliquos horum mihi da, qui interficiunt eos, utpote præstantiores.

LABOTAS cuidam verbosius dicenti, Quorsum, inquit, de paruis rebus magna tæxis exordia? cum rei quantitatem oratio debeat æquare.

35 LEOTYCHIDAS primus dicenti pro occasione ratione ipsum esse mutabilem: respondit, Non enim sicut vos *Mutatio sententia.*
 propter vestram maliciam. Interroganti, qua quis ratione præsentia bona potissimum conseruare posset, respondit: Si non omnia fortunæ committat. Rursum interrogatus, Quidnâ maximè ingenuis pueris sit discendum. Ea, retulit,

quæ prodesse queunt virilem ætatem assecutis. Quærentes cur pauco potu vterentur Spartani, respondit: Ne alij de nobis consulent, sed nos pro alijs.

Sobrietatis.

LEOTYCHIDAS Aristonis F. narranti, Malè tibi dicunt Demarati filij: respondit, Non me hercle miror, bene enim corum nemo loqui possit. Cum propioris portæ pessulo se draco circumplicauisset, idq; ostentum vates dicerent: non sanè, dixit, hoc mihi videtur. cæterum tum putarè esse portentum, si pessulus anguem circumplicauisset. Philippo Orphei sacrificulo extreme pauperi, dicenti abs se sacris initiatos post mortem beatos esse: Cur, inquit, fatue non quamprimum moreris, vt desinas tandem infelicitatem tuam, paupertatemq; plorare.

Contra superstitionem.
Salsè.

LEO Euiycatidæ F. interrogatus quanam in vrbe aliquis tutissimè habitaret: respondit, In ea, in qua omnium ciuium possessiones essent æquales, plurimumq; haberet virium iusticia, minimum iniusticia. Ad Olympiam videns cursores operam dare, vt cum emitterentur carceribus alius alteri fraudem faceret: Quanto, inquit, maius studium est cursoribus de celeritatis, quam iusticiæ laude? Intempestiuè cuidam de rebus non inutilibus differenti, Hospes, inquit, præter rem vteris re alioquin valde opporuna.

Æqualitas.
Victoria fraude partis.

LEONIDAS Anaxandridæ F. Cleomenis frater, cuidam dicenti, Nihilo nobis præstantior, quam eo quod regnum geris, respondit: atqui nunquam rex vester factus essem, nisi vobis præstarem. Proficiens ad Thermopylas, vt cū Persis dimicaret, vxori Gorgoni sciscitanti quid ipsi mandaret: Vt bonis, inquit, nugas, & bonam prolem parias. Ephoris dicentibus paucos ipsum ad Thermopylas ducere: satis, respondit, multos, ad id quod sumus acturi. Rursum quærentibus, an aliquid aliud statuisset agere, sic respondit: Verbis præ me fero, ire me vt barbaris transitus intercludam: re vera proficiscor moriturus pro Græcis. Postquam in Thermopylas cum suis venit, ita eos est allocutus. narrat barbarum esse in vicinia, nos autem tempus terere. iam enim aut moriendum est nobis, aut vincendi barbari. Dicente quodam fore, vt sagittæ barbarorum etiã solis conspectum eriperent: scitum ergo erit, inquit, in vmbra pugnare. Alij nunciati, Prope nos sunt hostes, respondit: Nimirum ergo & nos prope ipsos sumus. Dicenti, ades ô Leonida cum paucis

Fortiter.

auis contra tantam decertaturus multitudinem, respon-
 dit: si numero æstimatur res, ne tota quidem Græcia suffi-
 er, exigua portio barbaricarum copiarum: sin virtute, sa-
 est hæc manus. Alteri idem dicenti: At enim, dixit, multos
 duco, quippe morituros. Xerxi in hanc scribenti senten-
 m, Licet tibi, si contra deum pugnare nolis, & à meis ve-
 stare partib. soli vniuersis imperare Græcis: sic rescripsit,
 bona vitæ cognita haberes, vtiq; alienarum rerum cupi-
 a. atem deposuisses mihi quidem potius est mori pro Græ-
 10 cia, quam in omnes gentiles dominationē obtinere. Eidem
 scribenti vt arma sibi mitteret, rescripsit, Veni & accipe. Cū
 adoriri iam vellet hostes, & polemarchi reliquos eum iube-
 rent exspectare socios: Quid, inquit, an non adsunt qui sunt
 pugnaturi? aut nescitis solos eos cum hoste manum conse-
 15 rete, qui reges reuerentur & metuunt? Milites monuit, vt
 ita pranderent, tanquam apud inferos cœnaturi: Interro-
 gatus cur optimi nobilem mortem obscuræ vitæ antepone-
 rent, respondit: Quia hoc proprium naturæ, illud sibi esse
 censent. Cū cuperet adolescentulos eripere neci, & liqui-
 20 dō sciret id non passuros, vni post alterum scythalmam dedit,
 ac cum ea ad Ephoros misit. Sed & de his qui iam ætate erāt
 perfectā, tres eodem modo voluit seruare. ij autem accipere
 scythalas noluerunt. primus aiebat se non vt tabellarium, sed
 vt militem in exercitu esse: alter, præstantiorem se fore si
 25 in pugna adesset: tertius non post, sed ante hos se pugna-
 turum.

L O C H A G V S, Polyenidis & Syronis pater, quodā nun- *Educatio-*
 ciante alterum filiorum esse mortuum: iam dudum, inquit, *nis vis.*
 noram fore ei moriendum.

30 L Y C V R G V S legumlator, vt ciues ex vītata vītus ratio-
 ne (viuebant autem delicate) ad magis sobriam traduceret,
 virtutisq; studiosos redigeret, catulos duos educavit ijsdem
 natos canibus, horumq; alterum domi desidentem ad gu-
 lositatem adsuefecit, alterum ad venationem condocese-
 35 cit. deinde in concionem eos produxit, propositisq; que
 busdam gulæ iritamentis, leporem etiam emisit. vtroque
 ad id se incitante, ad quod erat adsuefactus, cū leporem
 alter cepisset, dixit: Videtis, ciues, hos ijsdem natos parēti-
 bus, educatione admodū dissimiles effectos, & exercitatio-
 ne magis quàm natura ad virtutem nos formari? Quidam
 dicunt,

dicunt, non produxiffe eum catulos eorundem canum, sed alterum è domi desidentibus, alterum de venaticis sustulisse, ac domesticum ab eo fuisse venationi, venaticum catulum voracitati adsuefactum, cumque utroque ad id se proripiente, quod ei erat factum usu familiare, ciuibus ostendisset quantum ad meliora aut deteriora studia conferret educatio, dixisse: Proinde vos quoque Spartani, videtis, nihil nobis illam vulgo celebratam nobilitatem, ductumque ab Hercule genus prodesse, nisi ea agimus, quibus ille omnia alia humana gloria & celebritate maiorem sibi parauit, honesta per omnem vitam discentes exercentesque. Cum agrorum diuisionem ita instituisset, ut omnium ciuium portiones essent æquales, fertur postea temporis aliquando è peregrinatione reuertens cum agros Spartanorum pertransfret recens demessos, conspicatos acervos æquales iuxta sese iacere, delectatus fuisse, vultuque renidente comitibus dixisse, Videri sibi totum agrum Laconicum, fundum esse fratrum multorum nuper diuisum. Nouis porro tabulis introductis, conatus est etiam domesticam supellestem apud omnes æqualem redigere, ut inæqualitatem omnem aboleret. Animaduertens autem ciues difficilimè passuros palam sibi ista adimi, aureo & argenteo nomismate abrogato, solo iussit uti ferreo, ac definiuit quantum eius æquare vniuscuiusque facultates deberet. Hoc facto, omnis iniusticia Lacedæmone exterminata est. Nam neque furari, neque muneribus corrumpi, neque defraudare alium aut rapere quisquam poterat porro, cum neque occultare iniuste partum liceret, neque possidere id magnum haberetur, neque vsus periculo careret, neque in commercijs apud externos locum haberet. Præterea omnibus superuacaneis rebus Sparta interdixit. Quare nullus mercator, rhetor, ariolus, aut circulator, aut supellestilis superuacaneæ opifex Spartam veniebat: cum ibi nomisma vtile abolitum esset, solumque ferreum vsurparetur, cuius mina Eginensis quatuor asses æreos valeret. Ut autem luxum excindere, & diuitiarum studium extirpare posset, conuictus (systiria, quod cibum multi vnà caperent, Græci dicunt) instituit. Proinde causam quærentibus, cur ea introduxisset, ciuesque ita diuisisset, ut pauci armati simul discumberent, respondit: ut promptè mandata capebant, & si quid rerum nouarum

Æqualitas.

Nomisma.

Systiria.

rum moliantur, penes paucos sit peccatum. Æqualibus autem portionibus cibus potusque cunctis distribuebatur, & non hac modo in re, sed & veste stragula, vasisque & alijs in vniuersum omnibus rebus nihil amplius diuiti erat atque pauperi. Ita ergo diuitijs ad vtilitatem reductis, cum neque vti quisquam, neque ostentare eas posset, familiaribus dixit: Præclarum est, focij, rebus ipsis demonstrare diuitias, id quod dicuntur, esse cæcas. Id quoque præcauit, ne domi prius cibo potuque saturati ad syssitia venirent. & non bi-

*Diuitia
cæca.*

- 10 bentem edentemque secum reliqui culpabant vt intemperantem, ac qui ob molliciem victus communis esset impatiens. Multabatur etiam, qui eius criminis esset comperitus. Agidi quidem regi non multo post tempore debellatis Atheniensibus domum reuerso, semelque cum vxore volenti cœnare, ac partes suas qui adferret mittenti, polemarchi eas non miserunt: eumque postridie Ephori re cognita multauerunt. Cæterum Ephori huiusmodi instituta Lycurgi molestè ferentes, coitione facta maledictis eum prosciderunt, lapidibusque obruere aggressi sunt. Fuga cum se per forum proripuisset, & cæteris euitatis in fanum Mineruæ Chalcicæ confugisset: Alexander eum insequens, respicientis oculum baculo excussit. Hunc Lycurgus plebis scito sibi traditum vt pœnas sumeret, neque vltus est, neque obiurgauit: sed adhibitum suo conuictui, laudatorem vitæ rationis quam vnâ vsurpabat, studiosumque omnium suarum actionum reddidit. Monumentum autem sui casus posuit ad fanum Chalcicæ, sacellum Mineruæ Optileridis. nam oculi Doriensium istorum lingua optili dicuntur. Interrogatus cur scriptis legibus non esset vsus, respondit: Quia rectè instituti atque educati norunt vtilitatem temporis. Alijs scitanti-
 30 bus cur ad fastigium domus faciendum sola securi, ad ianuam sola ferra vti, nullo alio instrumento permisisset, respondit: Vt ciues mediocritatem seruent in omnibus que in domum inferunt, neque eorum quicquam possideant, quæ ab alijs magnifunt. Ex hac consuetudine tractum esse aiunt, quod Leotychidas prior, rex Sparta, cœnans apud quendam, conspicatus fastigium domus magno sumptu exstructum & laqueatum, quaesivit ex hospite, numnam ista in regione arbores nascerentur quadrangulæ. Interrogatus præterea Lycurgus, cur vetuisset contra eosdem hostes sapius

pius expeditionem facere: causam attulit, Ne sapius defendere se adfuescentes periti fiant rei bellicæ. Ideo non leuiter vitio datum est Agefilao, quod continentibus in Bœotiam expeditionibus Thebanos bello pares Lacedæmonijs redigisset. Percunctanti cur corpora virginum cursu, lucta, disci-
 5 & iaculi iactu exerceret, respondit: vt in valido corpore fetus validas agens radices pulchrè adolescat, ipsæque deinde mulieres robore in partu frætæ dolores facile sustineant atque superent: vtque si ita necessitas postulet, pro se suisque liberis & patria possint pugnare. Reprehendentibus
 10 virginum in pompis solennibus nudationem, causamque eius requirentibus: Vt, inquit, eadem cum viris exercentes studia, neque viribus corporis & sanitate, neque animi contentione & virtute ijs cedant, popularemque despiciant opinionem de se. Hinc est, quod Gorgo Leonidæ vxor nar-
 15 ratur peregrinæ cuidam mulieri ad ipsam dicenti, Solæ vos Lacænæ viris imperatis, respondisse: Solæ enim nos viros parimus. Ludorum nudorum spectaculo interdicens cœlibibus, addensque igo omniâni, accuratè prouidit, vt ciues liberis procreandis darent operam. Cœlibes honore & cul-
 20 tu, quem senioribus adolentes debent, priuauit. Et quod in Dercyllidam dictum fuit, à nemine est reprehensum, quanquam præclarum alioqui imperatorem. accedenti enim ei quidam iuniorum sede non decessit, inquit: neque enim tu genuisti, qui mihi olim cessurus sit. Præterea interrogatus Lycurgus cur virginès sine dote nuptum dari iussisset? respondit: Ne vel ob inopiam aliqua manerent innuptæ, vel propter opes expeterentur: sed quiuis in mores puellæ intuens, virtutem in delectu sequeretur. Eadem de causa etiam fucandi artificium vrbe eiecit. Tempus etiam
 30 ineundi matrimonij constituit vtrique sexui. causamque rogatus hanc exposuit, vt valida nascerentur è perfectis corporibus. Miranti cur nouo marito concubitu cum sponsa interdixisset, iussissetque cum maiorem diei partem totamque noctem cum æqualibus degere, cum sponsa autem fur-
 35 tim & cautè congregredi: eò, inquit, hæc tendunt, vt & validi corporibus maneant, neque satietas incessat, & amor semper sit recens, prolemque edat validam. Vnguentum ex vrbe sustulit, vt olei perniciem: itemque tincturam, vt sensus adulationem. omnibus verò fucandi exornandique corporis ar-
 tem

*Virginum
 educatio.*

*Cœliba-
 tus.*

- tem tractantibus, Spartam inaccessam esse iussit, quod malis artibus mores corrumpere. Tanta fuit isto tempore mulierum pudicitia, tantumque abfuit à leuitate earum quæ postea temporis exstitit, ut crimen adulterij apud ipsas habitum sit pro incredibili. Ac sermo memoria fertur Geradæ cuiusdam è priscais Spartanis, qui interrogatus ab hospite qua pœna Sparta in adulteros vindicetur, nihil enim se videre hæc de re à Lycurgo statutum: respondit, Nullus apud nos fit adulter. Inferenti, Quid autem, si aliquando existeret? taurum, inquit, pendere cogitur tantæ magnitudinis, ut capite trans Taygetum porrecto ex Eurota bibat. Dicenti, Quomodo possit tantus inueniri taurus? subiecit: Quo verò pacto Sparta possit adulter existere, ubi diuitiæ, luxus, & fucus ignominiosa censentur, uerecundia autem, modestia, & subditorum obedientia obtinent? Postulanti ut populo administrationem reipubl. traderet Lycurgus: Tu prior, inquit, domi tuæ imperium domesticis tuis trade. Interrogatus cur tam modica & uilia constituisset sacrificia, respondit: Ne unquam deos uenerari cœsemus. Quærenti cur hæc duntaxat ciuibus permisisset certamina, in quibus nemo manum intendens victum se profiteretur, respondit: ne quis eorum inter laborandum despondere animum aduoluerat. Scitanti cur crebrò iubeat mouere castra: ut, inquit, pluribus hostes damnis afficiamus.
- 25 Alij quærenti cur turrium ac murorum oppugnatione suis interdixisset: respondit, ne à muliere aut puero aut eorum *Argute.* simili homine præstantiores interficiantur. Consultantibus Thebanis de sacrificio & luctu quibus Leucotheam uenerantur, suasisit, Si deam esse crederent, ne lugerent: si hominem, ne sacrificarent tanquam numini.
- 30 Quærentibus ciuibus quo pacto hostium insultus amolirètur, Si, inquit, pauperes sitis, neque vnus altero amplius quærat. Interrogantibus etiam de muris quid sentiret, negauit urbem munitione carere, quæ uiris non lateribus coctis cincta sit. *Coma.*
- 35 Nam quoque colebant Spartani, Lycurgi memorantes dictum, qui comâ formosis pulcritudinem augere, deformes terribiliores reddere pronunciaisset. Idem præcepit suis, ut si prælio hostem fudissent ac uicissent, tantisper modò insequerentur fugientes, dum uictoriam constabilirent, deinde statim se reciperent: nõ modò, quia Græcicum non esset

esset cedentes interficere: sed & vtilis hæc ratio. hostes enim si scirent cedentibus parci, repugnantes occidi, fugam pugna vtiliorem sibi arbitrarent. Interrogatus cur hostium cadauera spoliare vetuisset: Vt ne, inquit, spolijs intenti pugnam negligant, sed simul cum paupertate ordinem seruent.

Improbe. LYSANDER cùm duas ei stolas misisset Dionysius, & vtram mallet filiæ afferre iussisset, fatus ipsam filiam rectius delecturam, vtraque sumpta abiit. Hic homo versutus, & pleraque fraudibus miscens, iusque in sola ponens vtilitate, veritatem aiebat nihilo meliorem esse mendacio, sed vtriusque dignitatem & precium vsu definiri. Reprehendentibus ipsum, & indignum Hercule dicentibus, quod pleraque imposturis ageret, doloque res non ingenuè gereret, ridens respondit: Vbi non sufficit leonina pellis, adsuenda est vulpina. Alijs vituperantibus ipsum ob violatum iusiurandum, quod Mileti dixerat: Pueros talis, viros sacramentis decipi debere respondit. Cùm Athenienses ex insidijs vicisset ad Ægos potamos, fameque pressos urbem dedere coegisset, Ephoris scripsit: Captæ sunt Athenæ. Argiuis in controversia de agris aduersus Spartanos iustiora se afferre argumenta dicentibus, gladium stringens: Qui hunc, inquit, tenet, is optimè de finibus agrorū disputat. Bœotos, cū per eorum ditionem esset transiturus, cernens in vtramque nutare partem, misit qui interrogaret, Rectisne se hastis velent, an verò demissis transire. Megarensi cuidam in concilio liberius ipsum appellanti, Tua, inquit, hospes verba ciuitate opus habent. Cum defecissent Corinthij, & iuxta eorum muros ducens suos videret ad oppugnationem parum habere animi, lepus autem conspiceretur fossam transilire: Non pudet, inquit, Spartani hos hostes metuere, quorum ob ignauiam muris lepores indormiunt. In Samothrace oraculum consulentem sacerdos cùm iuberet dicere, quod in vita sua maximum perpetrasset scelus, Tu óne, inquit, a deorum iussu? respondenti, Deorum: tu itaque, ait, apage hinc, & ego dijs, vbi interrogabunt, dicam. Persæ quærenti quam reipu. formam maximè probaret: in qua, inquit, fortibus & ignauis suum tribuitur. Dicenti, laudo te & defendo, respondit, Duos se ruri habere boues, quibus tacentibus, se tamen exquisitè nosse vter eorum piger sit, vter industrius.

strius. Cuidam peregrino conuicia in ipsum iacienti dixit: Crebrius ista dicito, dicito absque intermissione, si fortassis animi tui mala, quibus plenus videris esse, possis egerere. Aliquo post mortem eius tempore aborta sociali controuersia:

- 5 Agefilus domum Lylandri venit inspecturus ea de re litteras, quas secum is retinuerat. Inuenit autem eum librum Lylandri scriptum de repu. in quo erat hæc sententia, regnum familiæ Eurytionidarum & Agiadarum adimendum, in quo medio ponendum esse, regemque ex optimatibus creandum: ne
10 posteris Herculis is honor haberetur, sed ijs qui imitarentur virtutem Herculis, quæ is ad deos euectus fuit. hæc orationem cum vellet euulgare ad ciues Agefilus, ut ostenderet qualis ciuis Lylander se fecisset, eiusque amicos iraduceret: Lacratidam ferunt ephorum tunc principem veritum ne oratio
15 ea persuaderet, inhibuisse eum ac monuisse, Non esse eruendum ex sepulcro Lylandrum, sed orationem conspeliendam, vafre & ad persuadendum aptè compositam. Qui filias eius ambiuerant, mortuo autem eo, quod pauperem fuisse tum
20 diuitiarum opinionem coluissent, hunc iusticiam eius ac probitatem paupertate arguente spernerent.

MAMERTES legatus aliquod missus cum à quodam isthæc felix prædicaretur ob multitudinem amicorum, Habesne, inquit, indicium certum quo probare possis quis
25 multos habeat amicos? doceri se id postulanti, Rebus, ait, secundis.

- NICANDER narrante quodam Argiuos ipsi maledicerent, Pecunas ergo, inquit, dabunt, qui de bonis malè loquantur. Quærenti cur comam & barbam alerent Spartani, re-
30 spondit: Quia virum & maximè ornat, & minimo sumptu constat proprius ornatus. Atheniensis cuidam dicens, Nimumò Spartani ocio estis dediti: Vera, inquit, dicitis: at non, ut vos, in quascunq; res operam impendimus.

- PANTHOEDAS in Asia legatione fungens, ostendens
35 tibus quibusdam murum probe munitum, Per deos, inquit, hospites, pulchrum est gynæceum. In Academia philosophis multa & præclara differentibus, ac deinde ex ipso quærentibus, quid sentiret de his disputationibus: Equidem, inquit, præclaræ sunt, sed nullius precij, cum vos istis rebus non vtamini.

PAVSANIAS Cleombroti F. Delijs de insulæ suæ iure aduersus Athenienses disputantibus, ac dicentibus Lege apud ipsos receptum esse, vt neq; pariant in insula mulieres, neq; mortui sepeliantur: Et quomodo, inquit, Delus patria vestra sit, in qua neq; natus est quisquam vestrum, neq; erit post mortem? Cùm exsules ipsum in Athenienses vt duceret exercitum, hortarentur, dicerentq;ue Olympicis ludis cùm renunciaretur victor, à solis Atheniensibus fuisse exhibilatum: Quid verò putatis, inquit, qui beneficio accepto me exhibilauerunt, facturos si lædantur? Quærenti cur Tyrtaeum poetam Spartani donassent ciuitate, respondit: Ne vquam videremur peregrino vsi duce. Imbecillo homini terra mariq; decertandum esse suadenti, Visne, inquit, vestibus te exuere, & ostendere qualis homo pugnam nobis suadeas? Mirantibus nonnullis inter spolia barbarorum sum tuosas vestes, dixit: Præstat aliquem ipsum magni esse precij, quam res possidere preciosas. Post Plataicam de Medis victoriam, mandauit suis vt præparatam Persæ cœnam sibi apponeret. quæ cùm esset admirabili luxu adornata, Per deos, inquit, gulæ deditus fuit Persa, qui tot rerum compos, nostram appetijt mazam.

PAVSANIAS Plistonactis F. interroganti cur de antiquo iure nihil Lacedæmone liceret conuellere: Quia, inquit, legum in viros, non virorum in leges debet esse auctoritas. Exsul hic cum Tegeæ laudaret Lacedæmonios, & quidam diceret, Cur ergo non mansisti Spartæ, sed solum veritisti? respondit: Quia ne medici quidem apud sanos, sed apud ægrotos solent versari. Interroganti quomodo Thracæ possent vinci, Si, inquit, optimum exercitui ducem præficiamus. Medico ipsum visitanti, ac dicenti, Nihil habes mali: retulit, Id sit, quia te medico non vtor. Amico reprehendenti ipsum, quod cuidam medico male diceret, nõ expertus ipsum, neque passus quicquam: Si, inquit, expertus eum essem, nõ viuere. Et dicenti medico, Senex es factus: quia, inquit, te non adhibui medicum. Optimum dicebat esse medicum, qui ægrotos non conficeret putrescendo, sed quamprimum sepeliret.

PAEDARETVS dicente quodam magnum esse hostium numerum: Tanto, inquit, maior erit nostra gloria, quia plures interficiemus. Videns quendam natura mollem a ciuibus

nibus propter placidos mores laudari, dixit: Neque viros *Graviter.*
 mulierum similes debere laudari, neque mulieres virorum
 similes, nisi earum aliquis usus incidat. Non allectus in tre-
 centorum numerum (qui primus in ciuitate erat honoris
 5 gradus) hilaris ac renidens è comitijs discessit. reuocatusq;
 ab ephoris, & causam risus sui interrogatus: Hæc, inquit,
 est, quod gratulor ciuitati, quæ c c c. quàm ego sim melio-
 res habet ciues.

PLEISTARCHVS Leonidæ F. quærèti causam, cur non
 10 à primis regibus cognomentum ducerent: Quia, inquit, il-
 lis vt imperarent ac regnarent necesse fuit, posterioribus *In nimis*
 nequaquam. Cùm aduocatus quidam ridicula diceret, Nō *facetum.*
 cauebis, inquit, hospes, ne quomodo continenter in palæ-
 stra se exercentes palæstræ euadunt, ita tu quoq; identidem
 15 risum captans, ridiculus fias. Narranti esse maledicū quen-
 dam qui ipsum laudet: Mirum, inquit, nisi aliquis ei me
 mortuum esse dixit. de viuo enim nemine beneille loqui
 potest.

PLEISTONAX Pausaniæ F. cùm Atticus quidam
 20 rhetor Lacedæmonios indoctos vocaret, Vera, ait, præ-
 dicas. soli enim Græcorum nos mali nihil a vobis didi-
 cimus.

POLYDORVS Alcamenis F. cuidâ crebro hostibus mi- *Mina.*
 nanti, Nō animaduertis, inquit, maximam te vindictæ par-
 25 tem sic infumere. Cum exercitum duceret cōtra Messenos,
 interrogâti cuidam an pugnare cū fratribus vellet: Non sa-
 nè, inquit, sed ad hæreditarē nosdum diuisam proficiscor.
 Cùm Argiui post trecentorum pugnam denuò ingenti pu-
 gna vniuersi essent victi, hortabantur Polydorum socij ne
 30 occasionem dimitteret, sed rectâ ad Argos duceret, vrbe ne-
 que occuparet: quod fore aiebant facillimum, viris occi-
 sis, solisque superstitijs mulieribus: respondit: collatis si-
 gnis hostem superare ego pulchrum iudico: vt autem vr-
 bem occupem, qui de finibus ditionis dimicauerim, iniu- *Iniusticia*
 35 stum mihi videtur. veni enim non vrbe capiendæ, sed agri *exemplum*
 recipiendi gratia. Quærenti cur in bellis Spartani pericula *in bello.*
 fortiter adirent, respondit: Quia reuereri duces didicerunt
 suos, non metuere.

POLYCRATIDAS cum alijs missus legatus ad regis
 præfectos, interrogatus priuatimne adesset, an publico no-

miſe, ſic retulit: ſi conſequimur quod volumus, publicè: ſi reſuſam patimur, priuatim.

PHOEBIDAS ante pugnam Leuctricam dicētibus nonnullis, iſtam diem manifeſtaturam qui ſit vir bonus: Magni, inquit, æſtimanda talis eſt dies.

Callidè & toleranter.

Sors fertur cū loco quodam iniquo & aqua ex pete à Clitorijs obſideretur, pactus eſſe agrū ſe ijs bello partum traditurum, ſi de proximo fonte omnes qui cum ipſo erant bibiſſent. Iureiurando pact. ſyltro citroque firmatis, ſuos conuocaſſe, regnumque detuliſſe ei qui non biberet. nullo autem ſitim cohibente, omnibusq; bibentibus poſtremum ipſum deſcendiſſe, ſequè aqua conſperſiſſe, & præſentibus adhuc hoſtibus diſceſſiſſe, ditionemq; vt qui non bibiſſet, obtinuiſſe.

TELECLVS narranti, malè de te loquitur pater tuus: iſ non faceret, inquit, ſi non eſſet faciundum. Fratri querenti non eadem ſe beneuolentia quā ipſum apud ciues accipi, iſdem ortū parentibus, reſpondit: Non enim item, vt ego, ferre noſti iniurias. Interrogatus cauſam cōſuetudinis Spartanæ, qua ſenioribus iuniores aſurgunt: reſpondit, Eo id fieri, vt adſueti hoc honoris deferre alienis, tanto magis uenerentur parentes. Quærenti quantas poſſideret opes, reſpondit, Non maiores quā ſatis eſt.

CHARILAVS interrogatus cur tam paucas leges poſuiſſet Lycurgus: Quia, inquit, pauca loquentes paucis opus habent legibus. Quærenti cur Spartani virgines detectas, mulieres velatas in publicum emitterent: Quia, inquit, virginibus quærendi ſunt viri, mulieribus opera danda vt ſeruent maritos. Heiloti cuidam aſperius ipſi ſe opponenti: Interficietem te, inquit, niſi iratus eſſem. Interrogatus quanam eſſet optima rei publ. forma, reſpondit in qua plurimi de virtutis laude abſque ſeditione certant. Cauſam ſciantū cur Sparta omnia deorum ſimulacra eſſent armata: Ne, inquit, quæ opprobria hominibus obijciuntur ob ignauiam in deos referamus: ac ne in etmes noſtri iuuenes dijs votantur cupent.

Certamen virtutis.

Spartanorum & Laconum apophthegmata, vbi autoris nomen ſerè non exprimitur.

Samiorum legatis longa vſis oratione Spartani reſponderunt:

- derunt: Primorum oblitus sumus: eamque ob rem posteriora non intelleximus. Thebanis controuersiam quibusdam de rebus mouentibus, dixerunt: Aut summisiores oportet vestros animos, aut maiorem esse potentiam. Laco quidam interrogatus cur tam prolixam aleret barbam, respondit: Ut canos videns, nihil ijs indignum in me admittam. Laudante quodam optimos bellatores, Laco: Ad Troiam, ait, fuerunt. Alius cum audiret quosdam in cœna se ad bibendum inuicem coegisse, dixit: An etiam ad edendum?
- 10 Cum Pindarus scripsisset Athenas fulerum esse Græciæ, dixit Laco quidam, Vtique Græciam collapsuram, quæ tali inniteretur fulero. Spectanti in tabula pictos Spartanos qui ab Atheniensibus occiderentur, ac dicenti, Fortes sanè Athenienses, excipiens Laco verba, In tabula, inquit.
- 15 Cuidam calumnias admittenti Laco, Desine, inquit, contra me aures impendere. Qui supplicio afficiebatur, ac se nolentem peccasse dicebat, ei quidam dixit: nolens itaque etiam pœnas da. In discessu videns quidam homines in curribus sedere: Absit, inquit, vt ibi sedeam, vnde senio-
- 20 ri assurgere non licet. Chij Spartam profecti cum à cœna in Ephoreo vomuissent, oleumque fecissent in sellis Ephorum: principio inquisitum accuratè est in autores facinoris, si fortè ciues essent: sed vbi senserunt Ephori Chios esse, edixerunt publicè, Chijs permissum esse turpiter agere.
- 25 Quidam amygdalas duras videns duplo vendi, An, inquit, rari sunt lapides? Laco cum plumis lusciniam nudasset, ac parum admodum carnis reperiret, dixit: Vox tu es, & nihil præterea. Laco Diogenem canem videns statuat aneam amplecti cum esset acre frigus, interrogauit, An tiges? neganti, Quid ergo, inquit, magnum facis? Laco Me-
- 30 tapontino cuidam timiditatem obiciebat: qui cum diceret, Atqui multum agri alieni nos possidemus: Ergo, inquit, non timidi solùm, sed iniusti etiam estis. Peregrinus quidam Sparta rectus vno stans in pede, Laconi dicebat:
- 35 non arbitror te tamdiu vni pedi posse insistere. respondit Laco: sanè. sed nullus est anserum, qui hoc non possit. Iactanti se ob artem oratoriam, Laco quidam: per Castores, inquit, neque est, neque erit ars vlla sine veritate. Arguo dicenti apud Argos multa esse Spartanorum sepulchra, re-
- spondit Laco: at Sparta Argiuorum nulla sunt. innuens

Senectutis honor.

In ostentatorem. Arguè.

Veritas.

Spartanos sæpe Argos adiuisse, Argiuos Lacedæmonē nunquam. Laco captiuus cum venderetur, præconi clamanti Laconem se vendere, os obthurauit, Captiuum, inquit, proclama. Aera apud Lyfimachum merentium quidam ab ipso interrogatus an ex heilotibus vnus esset: putas verò, inquit, Laconem aliquem ad tuum denarij bessem vēturum? Thebani victis ad Leuctra Spartanis cum ad ipsum Eurotam accessissent, ac quidam gloriabundus diceret, Vbi sunt Lacones? quidam Spartanus ab ijs captus, Absint, inquit: alioqui vos huc non venissetis. Atheniensibus Spartani vrbem deditibus ac Samum duntaxat sibi relinqui postulanti-
bus, responderunt: Quo tempore vestri iuris non estis, alios vobis dari poscitis. hinc prouerbium:

Qui non habet seipsum, habere vult Samum.

Vfus ex Cùm Lacedæmonij vrbem quandam vi cepissent, Ephori
hose. dixerunt: Perijt palaestra iuuenum, non habiturorum concertatores. Aliam vrbem, quæ sæpe negocium exhibuerat Spartanis, rege ipsorum pollicente se funditus delerum, non permisérunt, inquentes: Noli abolere aut delere eorum iuuentutis. In palaestra se exercentibus nullos adiunxerunt pædotribas, vt ne artis, sed virtutis istud esset certamen. itaque Lyfander etiam interrogatus quomodo esset victus à Charonte, respondit, Artificij varietate. Philippo, cum in agrum Laconicum venisset, per literas quærenti amicumne ipsum vellent aut inimicum venire, responderunt Spartanis, Neutrum. Legatum quem ad Antigonum Demetriij F. miserant, quanquam in penuria ille ab hoc medimnum tritici in caput ciuis impetratum adferebat, tamen quòd regem appellasset Antigonum, multauerunt. Cùm præuus homo optimam tulisset sententiam: probauerunt quidem eam, sed ab eo ad hominem qui honestè vixisset tanquam eius autorem transtulerunt. Fratribus inter se litigantibus, patrem multauerunt, quòd dissidere filios pateretur. Peregrinum fidicinem multauerunt, quòd digitis fides feriret. Duo pueri pugnabant. horum alter alteri falce vulnus lethale intulit. cum autem pueri familiares, qui pacis componendæ gratia interuenerant, promitterent se vltiores fore, & percussorem interfecturos: Nolite obsecro, inquit: fieret enim hoc iniuste. idem enim ipse facturus eram, si strenuus fuisset, & anteuertissem. Alius pufio,

pufio, cum appetijset tempus quo lege iubebantur ingenui
 pueri furari quidquid possent, turpe autem habebatur de-
 prehendi: socijs vulpeculam furatis, ipsiq; vt adseruaret tra- *Patientia.*
 dentibus, vbi quæsitum venerunt qui perdidierant, subter
 tunica abdiderat bestiam: quæ cum efferata latus eius vs-
 que ad viscera corroderet, tamen se continuit, ne furtiuam
 rem proderet. illis deinde digressis cum æquales viderent
 quid esset perpessus, reprehenderentque factum, præstare
 dicentes vulpeculam detegere, quam vsque ad mortem oc-
 10 cultare: Nequaquam, inquit: nam moriendum potius
 fuit in doloribus, quam furti compertum ob molliciem
 vita turpiter potiri. Obuij quidam in itinere facti Laco- *Fortiter.*
 nibus dicebant, Faut vobis fortuna. iam enim latrones
 hinc discesserunt. responderunt: non per Martem: sed la-
 15 tronibus fuit secunda, quod in nos ij non inciderunt. Laco
 quid sciret interrogatus, respondit: Liber esse. Puer Sparta-
 nus captus à rege Antigono & venditus, omnibus in rebus
 emptori morem gessit, quas libero conuenire putabat: ius-
 sus autem matulam adferre, recusauit seruiturum se negās,
 20 ac vrgente domino, tectum conscendit, fatusque, Scies
 quid emeris, præcipitem se inde dedit, ac vita decessit. Alius
 cum venderetur, quærenti, Probusne eris si te emerō: re-
 spondit, Etiam si non emeris. Alius captiuus cum venderetur,
 & præco proclamaret Mancipium vendo: scelestē, in-
 25 quit, cur non dicis captiuum? Laco quidam clypeum mu-
 sca insigniuerat, non excedente viuæ muscæ quantitatem.
 cum deridentes eum nonnulli dicerent latendi causa ab eo
 factum hoc esse: Immò, inquit, vt agnoscat. ita enim pro-
 pè ad hostes accedo, vt cernere possint insignis mei quanti-
 30 tatem. Alius allata in conuiuio lyra dixit: Non est Laconi-
 cum nugari. Spartanus interrogatus an tuta esset Spartam
 via, respondit: Pro eq atque descenderis: Leones enim ve-
 natum prodimus, lepores in latebris venamur. In lucta qui-
 35 dam cum apprehensus collo ad terram detraheretur, ne-
 que corpus sustinere posset, colluctantis brachium momor-
 dit. cumque hic diceret, Mordes ô Laco sicut mulieres: re-
 spondit, Nequaquam, sed vt leones. Claudus in militiam
 proficiscens cum derideretur, dixit: Non fugientibus opus
 est, sed stantibus & locum suum tuentibus. Alius sagitta
 ictus cum animâ ageret, aiebat Non mortem sibi molestam
 esse,

esse, sed quod nulla re gesta necatus esset ab effeminato sagittario. Quidam cum in diuersorium publicum se recepisset, cauponi, cui apparandum dederat obsonium, caseum oleumque poscenti, Quid, inquit, si caseum haberem, an præterea obsonium requirerem? Felicem prædicanti Lampidem Æginetam, quod prædiues putabatur ob multarum negociationibus destinatarum nauium possessionem, Laco quidam dixit: non moueor felicitate a funibus pendente. Laco ei, qui mentiri ipsum dicebat, Quia enim inquit, liberi sumus: reliqui nisi vera dicant, ciuabant. Intendebat quidam cadauer rectum constituere, cum autem omnia experto res non succederet, Profecto, inquit, oportebat aliquid intus esse. TYNNICHS Thrasyluli filij mortem magno tulit animo. extatque in hunc tale epigramma:

*Exanimis Pitanam Thrasylulus in aspidē venit,
Argui septem vulnera cui dederant,
Cuncta gerens aduersa rogo pater huncce cruentum,
Tymnichus imponens protulit ista senex:
Plorentur timidi, te fili siccus humabo
Lumina, qui meus es, qui Lacedæmonius.*

Cum Alcibiadi Atheniensi plurimum aquæ præberet balneator, Laco dixit: cur huic velut immundo & admodum sordido plus aquæ affandit? Philippus cum in Laconicam irrupisset, Spartanisque vniuersis videretur exitium imminere, dixit cuidam Spartano, Quid nunc facietis Lacones? responditis, Quid aliud, quam moriemur fortiter? soli enim Græcorum nos liberi esse, & non obedire alijs didicimus. Post cladem duce Agide acceptam, cum Antipater obsidum loco posceret L. pueros, ETEOCLES tum
Educatio. phorus daturum se eos negauit, ne male educarentur, & ab institutis patriæ desciscerent ciuitati incommodi fierent: senum autem aut mulierum duplum, si vellet, numerum obtulit: cumque Antipater atrociam inaretur nisi darentur, publico nomine respondit: Si difficiliora morte imperas, facilius nobis erit mori. Senex quidam Olympiæ commissum certamen spectare cupiens, sedem non inueniebat, cumque multa obiret loca, à nemine admisus contumelijs insuper disterijsque exagitabatur: cum autem ad Lacedæmonios venisset, omnes ei pueri assurrexerunt,

runt, multiq̄ue viri loco cesserunt. quem morem vniuersis
Græcis plausu approbantibus, summiusq̄ue laudibus vehen-
tibus, senex iste,

Concutiens canam barbamq̄, Et tempora cana:

- 5 Proh, inquit, calamitatem: norunt omnes Græci quid sit ho-
nestū, sed eo soli vtūtur Spartani. Idem aiunt Athenis quo-
que euenisse. Cū enim agerentur Panathenæa, Attici se-
nem contumeliosè vexabant vocantes vt locum daturi, ne-
que tamen si accessisset recipientes. qui cū penè præter
10 omnes iuisset, vt venit ad eos, qui Lacedæmone spectatum
missi erāt, vniuersi relictis subselliis locū dederunt ei. quod
factum cū populus magno plausu & admiratione
approbasset, Spartanus quidam, Per Castores, inquit, no-
runt Athenienses quid sit honestum, sed non agunt. *Men-*
15 *dicus* à Lacone stipem petebat, hic verò, Si darem; inquit, *cos.*
tibi, eò magis mendicares. nam huic tua deformitati cau-
sam præbuit: is qui primus tibi dedit, eoque te ignaūum
reddidit. Lacon videns quendam diis stipem colligentem,
Non curo, ait, deos me pauperiores. Quidam cum depre-
20 hendisset adulterū cum vxore deformi, infelix, inquit, que
te hoc coegit necessitas. Alius rhetorem audiens magnas
torquentem conuersiones orationis, Æcastor, inquit, for-
tis iste homo est, nulla re proposita tam bene voluens lin-
guam. Quidam cū venisset Spartam, ac cerneret quem
25 honorem senibus iuniores haberent, Hac sola in vrbe dixit
expedire fieri senē. Laco interrogatus qualis esset Tyræus. *Tyræus.*
Vtilis, respondit, ad blandè ducendos iuuenum animos. A-
lius ex oculis laborans ad pugnam ibat. interrogatus quò
iret, aut quid facturus, qui hoc modo esset affectus: Si nihil
aliud agam, inquit, hostis saltem gladiū hebetabo. *BVRTIS*
30 & *SPERTIS* Lacedæmonii sp̄te sua profecti sunt ad Xer-
xem Persarum regem, pœnas persoluturi quas ex oraculo
debebat Lacedæmon ob interfectos præcones Persæ ad ci-
uitatem missos. Vt ad regem venerunt, iusserunt cum ipsos
35 quo vellet modo pro Lacedæmonii interficere. Absoluti
à rege virtutem eorum admirante, rogatiq̄; vt secum ma-
nerent, dixerunt: At quī possemus hīc viuere, patria legi-
būsq̄; relictis, iisq̄; viris pro quibus morituri tantum con-
fecimus iter? & Indarne duce impensius orante, ac promit-
tēte æquali eos in honore fore cum primariis regis amicis,

responderunt. Videre nobis ignorare, quanta sit libertas
 quam qui sapit, non permutaret Perfarū regno. Lacon ho-
 spite, qui pridie ipsum declinauerat, spē didē eum precario
 sumpta veste stragula excipiente, pedibus vestem stragu-
 lam calcauit, inquit: Propter ista heri ne in storea quidem
 dormiui. Alius cum Athenas venisset, videretq; Athenien-
 ses falsamenta & obsonia præcone proclamante vendere,
 vectigalia exigere, lenocinium exercere, multaque alia pa-
 rum decora agere, nihilq; inhonestum ducere: reuersus in
 patriam, ciuib. interrogantibus Quales Athenis res essent,
 respōdit, Omnia pulcra per iocū & simulationem innuens,
 apud Athenienses omnia pulcra putari, turpe nihil. Alius
 quadam de re interrogatus, negauit. & cum qui interroga-
 uerat responderet, Mentiris: viden', inquit, vanū te esse ho-
 minem, qui interrogas de re tibi nota? Venerunt aliquādo
 legati Lacones ad Lygdamin tyrānum. qui cum aliquoties
 colloquio diem produxisset, tandemq; indicari iuberet va-
 letudine se nō satis esse firma, responderūt: Atqui per deos
 non colluctatum aduenimus, sed collocutum. Laconē qui-
 dam sacris initiatus, dicere iubebat cuius maximi sceleris si-
 biipsi conscius esset. respondit Laco, diis id notum esse. in-
 stantemq; & omnino profitendum esse dicentem, interro-
 gavit, Cui ergo id indicandum est, tibi ne an deo? cū re-
 sponderet, Deo: tu ergo, inquit, interim recede. Alius no-
 stū sepulcrum præteriens, spectrumque imaginatus, ha-
 sta, irruit, eaque id traiecit dicens: quō fugis anima his mor-
 ritura? Alius cū vouisset se præcipitem a Leucata sese da-
 turum, altitudine conspecta abiit retrō. cūque id ciui-
 rio verteretur, dixit: Non putaueram hoc votum alio ma-
 iore voto indigere, Alius in proelio gladium hosti iam in-
 cussurus, cū audiret receptui cani, ictum non intulit. &
 interrogatus cur peperisset hosti quem necare potuisset.
 respondit: Quia melius est imperatori parere quā interficere
 Laco quidam ad Olympiam victus, dicenti Collucta-
 tor tuus te fuit melior, Nequaquam, inquit, sed deicien-
 di peritior.

INSTITVTVA LACONICA.

Arcana.

Ingredientium in systitia vnicuique maximus natu
 ostendens ianuam: per has, aiebat, nullus effertur sermo.
 Maximē